VITA HERMANNI VULTEJI ...: ACCEDIT APPENDIX...

Jo. Phil Kuchenbecker



VITA HERMANNI VULTEJI, JCti.

EX MONUMENTIS FIDE DIGNIS,
UT PLURIMUM INEDITIS DEPROMPTA
ET AD ILLUSTRANDAM
HISTORIAM
HASSIACAM
EDITA
à
JO. PHIL. KUCHENBECKER.

ACCEDIT
APPENDIX DUPLEX.

GIESSAE,
Typis EBERH. HENR. LAMMERS.
MDCCXXXI.


KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK

A

TRES-HAUT ET TRES-PUISSANT

PRINCE,

FREDERIC,

ROY DE SUEDE, DES GOTHS, ET DES VANDALES,

&c. &c. &c.

LANDGRAVE DE HESSEN, PRINCE DE HERSFELD, COMTE DE CAZENELN-BOGEN, DIEZ, ZIEGEN-HAIN, NIDDA, ET SCHAUMBOURG,

&c. &c. &c.

SIRE,

Je prends sans doute une très-grande hardiesse, d'oser m'approcher de VOTRE MAIESTÉ

pour

pour LVY offrir cette chétive production. Quelle proportion entre cette offrande, & le MONARQVE, à qui j'entreprends de la faire? Mais, SIRE, les Grands Rois ne reçoivent pas seulement les choses, qui ont du rapport avec leur grandeur : ils s'abaissent à recevoir les choses de la moindre importance, qui leur sont presentées, sur tout par leurs fidéles sujets, avec les senti-

timens de respect & de vénération, qui leur sont dûs. Outre cela, SIRE, ce que je mets icy aux pieds de VOTRE MAIESTÉ, c'est le recüeil de la vie d'un Jurisconsulte célébre, qui en servant avantageusement VOS Glorieux Ancêtres, a eu le bonheur de mériter Leur approbation & Leur confiance. Cette considération en particulier me fait espérer, que VOTRE

TRE MAIESTÉ daignera jetter un oeil favorable ſur cet ouvrage, tel qû' il puiſſe étre d' ailleurs. Feu MONSEIGNEUR *le* LANDGRAVE, VOTRE PERE, *de glorieuſe mémoire, avoit pour moy de très-gracieuſes diſpoſitions. Je ſerois heureux, ſi elles avoient paſſé en* VOTRE MAIESTÉ, *& s' il* LUY *plaisoit d' agréer pareillement la profonde ſoumiſſion & le dévoüe-*

ment inviolable, avec lesquels je suis,

SIRE,

De VOTRE MAIESTE

A Giesse,
le 10.[me] May,

Le très-humble, très-obéïssant & très-fidéle Serviteur & Sujet,
Jean-Philippe Kuchenbecker.

LECTORI BENEVOLO
S.
JO. PHIL. KUCHENBECKER.

Sisto tibi vitam illuſtris quondam viri, HERMANNI VULTEJI, ICti fama noti, cujus memoriam ob æterna in Jurisprudentiam reliquasque diſciplinas merita Germania univerſa etiamnum ſuſpicit & veneratur. Mirabuntur nonnulli, quod in ea concinnanda operam conſumpſerim, cum non deſint Scriptores, qui rerum ab eo geſtarum ſeriem concinne ſatis expoſuerint. Ut enim ea taceam, quæ JUSTUS FEURBORNIUS, *Theologiæ Doctor & Profeſſor*

Mar-

Marburgensis, in concione funebri an. MDCXXXV. typis excusa, hanc in rem pro instituti ratione attulit: pleniorem vitæ ejus historiam JO. HENR. DAUBERUS, apud HENNING. WITTENUM *in memoriis JCtorum nostri seculi Decad. II. p. 163.* PAVLVS FREHERVS *in theat. viror. illust. p. 1067.* ADRIAN. BAILLETVS *dans ses jugements des savans Tom. VI. p. 164.* JACOB. FRIDER. REIMANNVS in dem Versuch einer Einleitung in die histor. liter. derer Teutschen *Tomo Ultimo p. 323.* JVSTVS SINCERVS *in vitis JCtorum Germanorum T. II. p. 107.* JO. WILH. DILLICHIVS *in Vitis Professor.*

Mar-

Marburgensium MSS. AUCTORES des allgemeinen historischen *Lexici* aliique professa opera tradiderunt. Quamvis autem singulis, quos nominavi, vitæ Vultejanæ Scriptoribus industriæ laudem libenter concedam, facile tamen omnes mihi assentientur, eos etiam cunctos sua narratione rerum a VULTEJO gestarum multitudinem ac magnitudinem nequaquam exhausisse. Adhæc multa false, plura non satis accurate ab ipsis fuerunt tradita, quod ii observabunt, quibus nostram commentationem cum illorum scriptis conferre volupe est. Tanto minus autem illis id vitio vertendum esse censeo, quod iis fontibus ad unum omnes destituti

fuerint.

ſuerint, ex quibus hæc mea hauſi. Non ſolum enim hos, quos dixi, rerum ipſius ſcriptores, multosque alios typis exſcriptos libros ſtudioſe conſului, verum etiam varia eaque rariora manuſcripta & inedità monumenta perluſtravi, quæ nemini eorum, qui vitæ Vultejanæ hiſtoriam reliquerunt, adire contigit. Memoranda inprimis hac in re mihi venit munificentia, viri illuſtris ac generoſi, Dn. JOANNIS ADOLPHI de VULTE, *Hæreditarii in Ellnhauſen, Wieblingen & Gerſtungen, Sereniſſimi Electoris & Comitis Palatini ad Rhenum Conſiliarii*, digniſſimi tanti viri Abnepotis, qui non aditum tantum ad inſtructiſſimam magni Abavi bibliothecã benigne mihi conceſſit, ſed omni etiam opera, ſtudio, conſiliis & auxiliis hunc laborem promovit. Magno inſuper adjumento fuerunt literæ Clariſſimorum Virorum ad VULTEJUM ſcriptæ, quarum tamen pars maxima in ferali illa urbis Marburgenſis obſidione direpta fuit & hinc inde diſſipata. Earum omnium, quas VULTEJUS ad LOTICHIVM dedit, copiam mihi conceſſit, indefeſſus ille bonarum artium ſtator, CONR. ZACHARIAS ab

UFFEN-

UFFENBACH, cujus viri facilitatem & ſingularem in me benevolentiam proliχa animi devinctiſſimi ſignificatione deprædico. Quas poſſum præterea grates publice perſolvo viris celeberrimis, JO. HERM. SCHMINCKIO, *Auguſtiſſimi Suecorum REGIS Conſiliario & Bibliothecario*, atque JO. ADOLPHO HARTMANNO, *Eloquentiæ & Hiſtoriarum Profeſſori in Academia Marburgenſi*, ex quorum ſcriniis literæ ad GVALTERUM, ut & COTHMANNI atq; DORNAVII ad VULTEJUM ad me pervenerunt. Potuiſſem equidem ex iis vel neceſſaria ſaltem ad inſtitutum meum comunicare: verum cum ad unum propemodum omnes in ſcriniis doctorum virorum hucusque delituerint ineditæ, non ingratum Lectori futurum putavimus, ſi eas integras huic commentationi ſubjungerem. Elegantiſſimam orationem JOANNIS ANTRECHTI *de vita & obitu Juſti Vulteji* dignam præterea judicavi, quæ recuſa hic legatur; quod varia ad illuſtrandam FAMILIÆ VULTEJANÆ hiſtoriam ſuppeditarit, & in inſtructiſſimis etiam bibliothecis fruſtra hucusque

fuerit

fuerit desiderata. Ceterum quid in hac opella præstiterim, meum non est dijudicare. Eam numeris omnibus absolutam esse, nec ipse mihi persuadeo, nec alios sibi hoc persuadere volo. Plura, quæ ad illustrandas res Hassiacas addi potuissent, de industria prætermisi, ne dum vitam VULTEJI enarrarem, seculi illius, quo vixit, historiam scripsisse viderer. Quod si tamen hæc mea non omnino displicuerint, operam dabo, ut *Vita* REINH. SCHEFFERI, *Cancellarii Hassiaci*, eadem methodo concinnata, proxime lucem videat. Vale interea, & conatus meos qualescunque æqui bonique consule. Scribebam Giessæ Hassorum die X. Maji. A. 1731.

P. 16. lin. 14. qui lege *qua*. p. 36. l. 5. egregias - *egregios*. p. 41. l. 2. soceri - *sororii*. p. 70. l. ult. Princierii - *Pincierii*. p. 73. l. 11. inimicitas - *inimicitias*. p. 78. l. 16. quemquam - *quam* l. 17. vele - querelæ. p. 79. l. 24. spepultus - *sepultus*. p. 87. l. 11. abomniaretur - *abominaretur*. p. 115. l. 11. saiutem - *saltem*. p. 139. l. 14. Nivernii - *Niversii*. p. 159. l. 23. preflum - *pressum*. p. 162. l. 7 stantum - *standum*.

In Append. p. 50. l. penult. *præstantissime adde &* p. 48. l. 13. beneficia - *beneficentia*. p. 86. l. ult. didisti - *dedisti*. Reliqua Lectoris æquitati permittimus.

VITA

VITA HERMANNI VULTEII EX MONUMENTIS INEDITIS ILLUSTRATA.

NOn ultimum profecto felicitatis, qua hucusque Hassia per Dei immortalis gratiam gavisa fuit, argumentum id mihi videtur, quod ab hominum usque memoria largam semper produxerit virorum præstantissimorum segetem, quorum indoles & ingenia nullis non disciplinis atque artibus feliciter capiendis apta fuerunt & accommodata. Inter eos celebre VULTEJORUM nomen est, ex quorum prosapia veluti ex equo Trojano magno numero prodierunt viri, qui pietate in Deum, fide in Principes, amore in patriam, meritis in bonas artes literasque, æternam nominis famam promeruere. Quod si origines anti-

quissimæ hujus gentis altius indagare animus esset & facultas, eam ipsam fortassis celeberrimas inter veterum Romanorum familias *a*) olim fuisse relatam vel ex eo colligere possemus, quod jam anno ab Urbe condita DCXI. M. VOLTEJUS *M. fil.* Achajam *Quæstor* obtinuerit, & ex provinciæ istius tributis ac vectigalibus nummos, artis atque inventionis pulcherrimæ, cudi jusserit *b*). Verum cum

---

a) Patriciæne, an plebejæ originis fuerit, dubitat FULVIUS URSINUS *de familiis Romanorum*, penes JOANNEM GEORGIUM GRÆVIUM *Thesaur. Antiquit. Romanar. T. VII. p.* 1307.

b) Meminit ejus ex nummo STEPHANUS VINANDUS PIGHIUS *Annal. Roman. ad hunc ann.* Deinde etiam ad annum U. C. 677. commemorat M. VOLTEJVM *M. fil. M. nep.* cujus, ait, *extant denarii plures, ut videatur quæsturam in urbe anno suo gerens cudendæ monetæ curam simul gessisse. Antiqua fuit gens, ut indicant* nu-

cum in ea non sim hæresi, ut eorum sententiæ subscribam, quorum animos inepta illa occupavit opinio,

 non

numismata variis notis distincta, adjecto semper nominis titulo eodem M. VOLTEJI M. f. *quorum primus Quæstor* Achaiam *obtinuit anno* U. C. 611. & *Isthmiacos ludos ibidem Romanorum impensis celebrari curavit. Hunc vero, ut annorum intervallum indicare videtur, prioris illius nepotem, usitata voce Latina,* VULTEJUM appellat CICERO L. III. *in Verrem*, in epistola Timarchidis. Sed hic *Lucius* ibidem, non *Marcus* appellatur & summæ apud Romanos auctoritatis fuit. Occurrit porro mentio cujusdam VULTEJI qui *Tribunus* fuit, & in bello Cæsaris contra Pompejum ob heroicum facinus immortalem nominis famam consecutus est. Conservavit ejus memoriam L. ANNÆUS FLORUS *Histor. L. IV. cap.* 2. cujus verba hæc sunt: *Ita ultro cedente Varrone, Gades, fretum, Oceanus, omnia felicitatem Cæsaris sequebantur. Aliquid tamen adversus absentem ducem ausa fortuna est circa Illyricum & Africam: quasi*

non satis illustrem esse gentem, nisi Majores ejus a Græcis aut Romanis non

quasi de industria prospera ejus adversis radiarentur. Quippe cum fauces Adriatici maris jussi occupare Dolabella & Antonius, ille Illyrico, hic Curictico littore castra posuissent; jam maria late tenente Pompejo, repente legatus ejus Octavius & Libo ingentibus copiis classicorum circumvenit utrumque. Deditionem fames extorsit Antonio. Missa quoque a Basilo in auxilium ejus rates, quales inopia navium fecerat, nova Pompejanorum arte Cilicum, actis sub mare funibus, captæ quasi per indaginem. Duas tamen æstus explicuit. Una, quæ Opitergenos ferebat, in vadis hæsit, memorandumque posteris exitum dedit. Quippe vix mille juvenum manus, circumfusi undique exercitus per totum diem tela sustinuit, & quum exitum virtus non haberet, tamen ne in deditionem veniret, hortante tribuno VULTEJO, *mutuis ictibus in se concucurrit.* Denique VULTEJI *Mena,* qui temporibus Augusti floruit, mentionem injicit HORATIUS *in Epist. ad Mæcenatem L. I.*

Et

non interrupta ſerie deſcenderint; ſatius eſſe duco ad propinquiora nobis tempora accedere, & ea, quæ de glorioſis VULTEJORUM meritis firmo nituntur fundamento, enarrare, quam emendicato a cana antiquitate ſplendore partam eorum gloriam quodammodo obfuſcare.

Certum autem indubitatumq; eſt, Familiam VULTEJORUM circa Seculi a Chriſto nato decimi quinti finem in *Belgio* ſedem ſuam habuiſſe, tantisque fortunæ bonis abundaſſe, ut celeberrimis atque ditiſſimis fuerit annumerata. Pervenerant hoc tempore, anno nimirum ſupra milleſimum quadrigenteſimum ſeptuageſimo ſeptimo, poſt cruentam apud *Nancejum* pugnam, & infelicem CA-
ROLI

— *Et narrat* Vultejum *nomine* Menam Præconem *tenui cenſu ſine crimine natum.*

Hæc de antiquitate & ſplendore Vultejanæ apud Romanos Familiæ pro inſtituti ratione attuliſſe ſufficiat.

ROLI AUDACIS, *ultimi Burgundiæ Ducis*, interitum provinciæ Belgicæ in manus *Austriæ Archiducis* MAXIMILIANI I, qui filiam ejus unicam MARIAM, faustissimo matrimonii vinculo paulo ante sibi copulaverat. Et quamvis illa infelici fato mature nimis e vita decessisset; lauta tamen hæc hæreditas ad PHILIPPUM AUSTRIACUM, quatuor annorum filium, devolvebatur, cujus tutelam pater deposcebat. At is plurimorum Belgii Procerum animos ob plebejam, qua utebatur, vivendi rationem ita a se abalienaverat, ut omnem hi moverent lapidem, quo exoso huic Principi sceptrum e manibus extorquerent. Coëgerant hi non tantum Maximilianum, ut filiam suam MARGARETHAM *Galliæ Delphino* CAROLO VIII. invitus desponsaret, sed, postquam relicto, qui vices ejus gereret, ENGELBERTO, *Nassoviæ Comite*, in Germaniam abierat, pronus ad nova molienda populus turbas excitare non intermittebat. Cresce-

Crescebat in dies periculum, & nullum tam pertinaci malo superesse videbatur remedium, nisi ut Maximilianus in Belgium reversus præsentia sua seditiosos compesceret. Vix autem *Brugam* in Flandria pervenerat, cum cives ipsi quadraginta octo articulos ad respondendum proponerent; imo tam diu captivum detinerent, donec FRIDERICUS III. *Romanorum Imperator*, obsesso *Gandavo*, filii libertatem redimeret. Exacerbaverat hæc res adeo Maximiliani animum, ut magnæ auctoritatis & invicti animi heroëm, ALBERTUM ANIMOSUM, *Saxoniæ Ducem & Lineæ Albertinæ satorem*, provinciarum Belgicarum Gubernatorem constitueret, qui intra paucorum etiam annorum spatium ad pristinum obedientiæ jugum seditiosos propemodum omnes redegit. Et quamvis assueta jam turbis plebs novum malorum diluvium minaretur, & sub *hamatæ factionis* nomine in ipsa patriæ suæ viscera incendiis, rapinis & quibuscunque scele-

rum generibus crudelissime desævi-
ret; eam tamen fortitudine sua plus-
quam Herculea tam feliciter com-
pescuit, ut *dextra Imperii manus* ab
omnibus salutaretur. Non paucæ
interea civitates turbulento hoc re-
rum statu gravissima damna pertu-
lerant, ut opulentissimæ etiam Fa-
miliæ majora ominantes mala patri-
os lares relinquendi consilium cepe-
rint, & in Galliam Germaniamque
transmigrare constituerint. Illarum
exempla secutus PONTIUS VUL-
TEJUS *c*) cum ISABELLA con-
juge

c) Eum enim ex Belgio relictis, quæ pos-
sidebat, bonis in Galliam venisse, claris-
simis verbis testatur filius, JOANNES
VULTEJUS *in Epigrammatum L. II.*
Lugduni anno 1536. ipso, quo floruit
tempore, publicato. Ita enim lo-
quitur:

Prædiolum si forte petas, si nostra requiras
Tecta, patris patriam Belgica Terra
dabit.
Axona *Te fluvius proprias deducit ad ædes,*
Antiquumque patris Vendiacense *so-*
lum.

juge *Remis* in Campania sedem fixit, cujus filius JO. VULTEJUS *d*) magnam nominis famam consecutus est, & doctissimis tunc temporis Galliæ poëtis NICOLAO BORBONIO, SALOMONI MACRINO, & BRIXIO, nisi antepositus, certe æquiparatus fuit.

Neque dubium mihi hæret, quin unius ejusdemque originis fuerit JOANNES VULTEJUS, qui Hassorum provinciam elegit, & in oppido *Wetter*, non tam loci amplitudine, quam fama doctissimorum, quos hinc inde hæc urbs disseminavit, virorum celebri, circa idem tempus cœpit inclarescere. Etsi enim stemmatis connexionem idoneis monumentorum testimoniis destituto indagare hactenus non licuerit, haud vana tamen me movent argumen-

d) Communiter vocatur *Rhemensis*, teste JOANNE PETRO LOTICHIO *in bibliotheca Poëtica Parte IV. p. 65.* ubi ejus vitam exhibet.

ta, *e*) ut credam, eum ex Brabantia huc commigrasse, & communem, qui in hodiernum usque diem auctoritate, doctrina, opibus ac fortunis florent, VULTEJORUM omnium satorem extitisse *f*). Genuit ex MECH-

e) Arguit hoc inprimis antiquum & gentilitium Familiæ nomen, quod Belgica dialecto VUILLE in *Annalibus Academiæ Marburgensis* MSS. expressum inveni. Sic etiam *in testamento veteri* MSS. de anno 1514. die conversionis Pauli, occurrit JOANNES VUILLE, *Presbyter & civis Wetteranus*, qui pauperibus ibidem 70. fl. legavit; prout id indefessus antiquitatum patriarum indagator, JOANNES HERMANNUS SCHMINCKIUS observavit.

f) HERMANNUS KIRCHNERUS *in oratione consolatoria ad Hermannum Vultejum super obitu filii primogeniti p.* 77. hæc de eo refert. *Hic enim ille sibi cognominem paternum vestrum proavum* Joannem *reperit, virum* Senatoria dignitate, *integritate ac prudentia* inter Wetteranos *olim maxime*

MECHTILDE, tori socia, matrona dotibus omnibus instructissima, JOANNEM & JUSTUM VULTEJUM; quorum ille, postquam *Austriæ* & *Galliæ* Magnates eruditionis & virtutum suarum admiratores nactus esset, *Senatoriam dignitatem* in urbe *Marpurgensi* obtinuit: sed immature fatis, vix annum trigesimum tertium egressus ex hac mortalitate improlis decessit *g*).

JU-

maxime spectabilem, quem ex curia terrestri Deus Optimus Maximus XXIIX. natum annos, ad cœlestem civitatem immatura morte transtulit. Confer JUSTI VULTEJI *carmin. Libr. V. p.* 418.

g) Testem de his producimus HERM. KIRCHNERUM l. c. ita loquentem: *Intuetur ibidem patruum suum* Joannem, *virum olim in hujus civitatis* ordine Senatorio *magnum, virum tum literarum, tum virtutis nomine rerumque plurimarum experientia commendatissimum, cujus in Austria apud Magnates etiamnum egregia memoria, quem-*

JUSTUS VULTEJUS vero partam a Majoribus gloriam propriis virtutibus longe reddidit illustriorem. Eos enim ductu inprimis CHRISTIANI PINCIERII, celebratissimi nominis viri, cui mater secundo nupserat, in literarum studiis fecerat progressus, vt evulgatis tot præclaris ingenii perspicacissimi monumentis, eruditissimos tunc temporis viros, ex quibus JOANNEM CALVINUM, PHILIPPUM MELANCHTHONEM, JOANNEM STURMIUM, LUDOVICUM LAVATERUM & FRANCISCUM HOTOMANNUM nominasse sufficiat, in sui amorem & admirationem adhuc juvenis attraxerit. Perlustratis deinde *Brabantiæ, Flandriæ* & *Galliæ* regionibus, per *Heduorum* & *Celtarum* fines ad patrios lares reversus, *Wetteræ* ludum literarium magno cum

quemque Gallia cum in ea viveret, plurimum suspexit & amavit, nec illum ultra trigesimum tertium annum inter mortales versari amor Dei passus est.

cum applausu aperuit; vix præstantiorem operam se suscepturum ratus, quam si hac ratione sedulo caveret, ne Hassiæ suæ unquam deessent viri, qui ope, eruditione, consiliis & auctoritate Ecclesiam & Rempublicam suffulcirent. Sed ad majora natus videbatur GUILIELMO, *Hassiæ Landgravio* & vero Musarum Mæcenati, qui eum, nihil minus cogitantem, ad Marburgensem evocavit Academiam, ut Pædagogicæ juventuti erudiendæ præesser, & Theologiam publice doceret *b*). Paruit

b) Rem totam ex *Actis Facultatis Philosophicæ Marburgensis MSS.* referam, quam ita THEOPHILUS HEIDERICUS LONICERUS ad annum 1575. consignavit. *Cum Justus Vultejus, Weteranus ab Ill. Principe* WILHELMO, Landgravio Hassiæ, *in anno* 1560. *Weteris huc vocatus, ut Pædagogicæ juventuti erudiendæ præesset, modeste quidem illam subire provinciam primum recusavit, sed tandem ea spe, quod simul ipsi Lectio Theologica extraordinaria com-

ruit clementissimæ tanti Principis voluntati, & licet ægerrime *i)* ex natali

committi deberet attractus, fidelissime ac summa cum moderatione Pædagogium ab eo tempore usque ad finem vitæ suæ per annos XIV. magno tum ecclesiæ, tum totius patriæ commodo instituit. Anno autem 1562. publice & Theologiam est professus, & hora XI. pomeridiana in Collegio Theologorum epistolam Petri explicavit. Sed Pædagogicis postea laboribus occupatior per aliquot annos publicam illam lectionem ultro intermisit, donec post obitum D. WIGANDI HAPPELII *ipsi honesto stipendio Ebrea quoque lectio demandaretur, & sic in ordinarium simul Professorem reciperetur, optime de Schola hac meritus, trium linguarum peritissimus.* In alio MSS. hæc invenio: *Anno 1560. facta est Pædagogii nostri reformatio per Illustrissimum Principem Wilhelmum, Landgr. Hass. & vocatus est ad nos e Wetterano ludo doctissimus M. Justus Vultejus, ut ipse in nostro Pædagogio Pædagogiarcham ageret, constituto ipsi annuo stipendio 150. aureorum, venit ergo die divo Jacobo consecrato.*

i) Summo enim amore prosequebatur natale

li solo discederet, demandatam sibi spartam magno tum Ecclesiæ, tum Reipublicæ commodo ad extremum usque vitæ halitum exornavit *k*). Matri-

natale solum *Wetter*, ut etiam *jus civitatis* ibidem amittere noluerit. Testatur id ipsum charta a Cl. SCHMINCKIO benevole nobiscum communicata, cujus tenor sequens est: Wir Burgermeister und Rath auch gantze Gemeinde zu Wetter/ thun kund und bekennen hiermit vor Uns und unser Nachkömlinge / daß wir auffrichtig/ recht und redlich verkaufft haben auff einen Widderkauff in Krafft dieses Brieffs dem Würdigen und Wohlgelahrten Herrn Justo Vultejo jetziger Zeit Pædagogiarchæ zu Marburg und Bürgern zu Wetter / Catharina seiner ehlichen Haußfrau . . 1574. Martini Episcopi.

k) Adi si plura de ejus vita desideras, quam in Appendice I. subjuximus JOANNIS ANTRECHTI *orationem funebrem Justo Vultejo dictam*, JO. PETRI LOTICHII *Biblioth. Poetic. Part. III. p. 66.* MELCHIORIS ADAMI *vitas Philosophorum p.* 121. b. PAULI

Matrimonium, quod cum CATHARINA FETTIA *l*), ex antiquissima &

PAULI FREHERI *Theatrum eruditorum p.* 1070.

l) Elegantissima est elegia, quæ JUSTI VULTEJI *carminibus* præfixa legitur & ad illustrationem vitæ ejus haud parum conducit, unde eam hic legere non pœnitebit.

Illa ego sarcophago Catharina recondita putri
Justi Vulteji *nobilis uxor eram.*
Conjugis ut toti doctrina inclaruit orbi:
Sic mea me pietas, vitaque ad astra tulit.
Ex celebri sum nata domo, qui Fettia *claram*
In stirpem licitus me sociavit amor;
Nempe in Vultejam, Justum talamoque sacravi
Theologum, felix mutuo amore fui.
Quatuor e socio produxi pignora *lecto,*
Sic satis in Christo sit benedictus ager.
Tres *ego* Doctores : *binos duo lumina juris,*
Unum Paeonia splendidum in arte decus,
Conjugio peperi casto: dum filia *proles*
Doctori Antrechto *quarta dicata fuit.*
Æquali matrona gradu, nec dispare honore
Educta, aspexi pignora lacte meo.
Immundi mundi pertasa exambio cœlum,
Tum mihi cum Christo vivere dulce bonum est.

Wet-

& nobili ſtirpe oriunda inierat, vel ex eo fuit feliciſſimum, quod præter filiam, quæ JOANNI ANTRECHTO, magni nominis Jureconſulto & per multos annos *Haſſiæ Cancellario* nupſerat, ex eo prodierit filiorum triga, quibus ea ingenii & animi contigit felicitas, ut VULTEJORUM nomen etiam exteris & longe diſſitis regionibus, tanquam ad conſervationem literarum facultatumque altiorum propaginem unice natum, per eos innotuerit.

Vocatus enim a CHRISTIANO IV. *Daniæ & Norvagiæ Rege* CHRISTOPHORUS VULTEJUS, munus *Conſiliarii in Jutia* magna cum dexteritate & rerum agendarum prudentia adminiſtravit: JOANNES

Wetteris *morior, ſic me revocantibus aſtris,*
Stella fui in terris, hic ego ſidus ero.
Doctores gnati, tuque o chariſſima gnata,
Salvete, & matri hoc amplificate decus.

Obiit ipſis Calendis Aprilis anno 1601. ætatis LXXX.

vero *m*) MAXIMILIANO, *Austriæ Archiduci, in Croatiam* eunti comes adfuit, & tantam in arte Pæonia famam consecutus est, ut Medicorum sui seculi Princeps & redivivus Hippocrates a cunctis salutaretur. *n*) Ter-

m) Confer PAULI FREHERI *Theatrum eruditorum p.*1068.

n) Magnifica sunt & Vultejano nomine digna, quæ de ipso refert KIRCHNERUS *in orat. citat. p.* 178. *Vidit*, inquit, *quem quatuordecim abhinc annis hæc civitas postremo vidit, patruum vestrum* Joannem, *fratrem tuum* Cl. Hermanne, *qui abhinc quadriennio ad superos concessit. Atqui erat vir ille dignissimus, qui non modo annosi Galeni, cujus artes & doctrinas exactissime callebat, sed & longævi illius Nestoris, cujus facundiam & gravitatem animique magnitudinem æquabat, tria secula exsuperasset. Illum enim omnes totius Italiæ tum Philosophi, tum Medici tantopere admirati sunt, imprimis vero præstantissimus omnium ARCHANGELUS MERCENARIUS dicere solitus fuit, neminem

Tertius fratrum HERMANNUS
B 2 VUL-

minem sese unquam ex gente Germanorum majoris ingenii, majoris judicii virum cognovisse. Sed & Illustrissimi Principes Hassiæ ad patriam Academiam illustrandam clementissime eum accersebant: verum ita illum favor ac benevolentia exterorum, potissimum vero Austriacorum Procerum Stiriaque Magnatum, & Comitis SERINII gratia captum & devinctum habebant, ut actis Illustrissimorum Principum clementia, de tam honorifico de se judicio gratiis, foris maluerit, quam domi ætatem omnem transmittere. Vir profecto non modo per omnes vitæ partes laudatissimus, sed etiam in ea re ipso Medicorum Principe Galeno superior, multoque illustrior, quod & majoris & fortioris animi esset, neque solum herbas, sed & militares hastas bellicose tractare eadem manu didicisset. Nam quod Galenus rogatus olim ab Imperatore Commodo, cujus Archiater erat, ut sese in expeditionem Germanicam comitaretur, meticulose detrectasse dicitur: hoc ille superioribus annis, manu ac animo intrepido, Serenissimo Archidu-

VULTEJUS o) fuit, æternum illud Hassiæ nostræ ornamentum, qui vitæ sanctimonia, morum candore, juris reliquarumque disciplinarum peritia, consiliorum promptitudine, munerum dignitate & meritorum gloria

tan-

ci MAXIMILIANO copias in Croatiam adversus Turcas ducenti, sponte sua præstabat; cum nonsolum se optimum in castris Medicum, sed etiam fortissimum militem exercitui probaret. Quod quidem tam acceptum gratumque Archiduci fuisse ferunt, ut cum magno stipendio Archiatrum Aulicum aliquoties poposcerit. Verum ille cum suus esse posset, singulari aliqua paterna animi magnitudine subnixus, secundum prudentum consilium alterius esse nolebat.

o) Hinc errare vides Cl. JACOBUM FRIDERICUM REIMANNUM in dem Versuch einer Einleitung in die *Historiam Literariam* derer Teutschen *Tom. ultimo p.* 323. qui patrem Hermanni Vulteji *Julium* fuisse appellatum refert.

tantum alios inter caput extulit
omnes,
Quantum lenta solent inter viburna
cupressi.

Quamvis enim ingeniorum felicissimorum ferax Hassia complures dederit in omni scientiarum genere exercitatissimos viros, facile tamen mihi concedent omnes, in tanta licet doctissimorum hominum multitudine vix unum sibi parem habuisse VULTEJUM nostrum, ea eruditionis copia, ea ingenii & judicii præstantia præditum, ut non temere dederit aut hæc, aut patrum ætas illi similem, certe nullum, qui in omnibus ad illam laudem & celebritatem pervenerit. Tam multa, tam præclara, tam egregia sunt ipsius erga Sacrum Romanum Imperium, erga Serenissimos Hassiæ Principes, erga Ecclesiam, erga Rempublicam, erga scholas & literas merita ac officia, ut verissime Comicum illud usuveniat: *nihil quidquam tam magnifice de eo*

dici posse, quin virtus illud ejus superet.

Natus autem est HERMANNUS VULTEJUS *Wetteræ Hassorum p)* anno Recuperatæ Salutis *millesimo quingentesimo & quinquagesimo quinto* Dec. die *sexta decima q)* intra octavam & nonam

p) *Wetteraviam* cum oppido Hassiæ superioris *Wettera* confundit ADRIEN BAILLET *dans ses jugemens de savans T. VI. p.* 164. quando dicit: *Pour Herman Vultejus il étoit né au Wetteravie en Hesse le 16. Decembre l' an* 1555. Eo facilius autem hic error ipsi condonandus est, quo magis solenne hoc est Gallis, ut in Geographia Germaniæ gravissime vapulent.

q) Prout ipse annotavit in *Annalibus Academiæ Marburgensis* MSS. ubi, cum secunda vice Magistratum Academicum gesserat, ita subscripsit: HERMANNUS VULTEJUS, *JCtus consignabat ultima Decembris anno Christi* 1601. *cum XVI. die ejusdem Mensis Decembris complevisset annum ætatis suæ XLVI. Dei beneficio, cui sit laus in sempiternum. Dominus mecum: quid faciat mihi homo?*

nonam matutinam, r) & parentibus haud vanam ſpem præbuit, fore, ut a gloria atque virtute Majorum, tanquam ſtimulis, ad magna quævis pro patriæ ac religionis ſalute olim ſuſcipienda incitaretur s). Prima parentum cura fuit, ut natum recens

filium

r) Narrante JO. JUSTO WINCKELMANNO *in epiſtola dedicatoria Hermanni Vulteji jurisprudentia Romana* præmiſſa.

s) Pater Juſtus Vultejus de nato hoc filio fauſta ſibi quævis ominabatur, ceu inter alia teſtatur Epigramma, quod *Carmin. ejusdem Libr. III. p.* 539. legitur.

Ex vero tibi nomen habes: nam milite tali,
Arx domino ſacri ſacra tuenda chori eſt.
Perge, tibi faveat, quem ſic profiteris Jeſum,
Sic tibi, ſic paries gaudia mille patri.
Sic Hermannus *eris, tuaque hac exercitus arma*
Impius horrebit viſa dabitque fugam.
Teutones Hermannum *dicunt, Graecique* ςρατιώτην,
Armorum gnarum militaque virum.
Aſt iſch milchama *Solima gens nominat ora,*
Hanc explere ſtylo laus tua, nomen erit.

filium per ſacrum baptiſmatis lavacrum Chriſto redemptori ſuo offerrent, iisque in religione chriſtiana principiis imbui curarent, quæ Majores ex JOANNIS CALVINI, VLRICI ZWINGLII, reliquorumque Helvetiæ Theologorum converſatione & ſcriptis hauſerant, atque tam altas in eorum animis radices egerant, ut nec terrore, nec vi, nec promiſſis ab agnita ſemel hac veritate, ejusque coram omnibus profeſſione vel latum unguem dimoveri unquam potuerint *t*). Vix annum ætatis

t) Quanto cum animi candore & integritate agnitam *Reformata*, ut vocant, *Religionis doctrinam* ſemper ſint confeſſi, teſtantur inter alia *Acta MSS. Synodi Marburgenſis* die 8. Julii anno 1571. ab ECKBERTO de MALSBURG, Pro-principe ad Lanum, BARTHOLOMÆO MEYERO, *Superint.* LUDOV. FEYE, BURCHARDO a CRAM, D. JOANNE HEINZENBERGERO, *Cancellario* & M. THEOPHILO, a WILHELMO & LU-

ætatis quartum egreſſus erat VUL-TEJUS noſter, cum ex patris voluntate in Wetterana ſchola elegantioribus literis cœpit imbui, & in ipſa licet tenerrima hac ætate perpetuam futuræ illjus perfectionis ſpem præ-

 buit,

LUDOVICO, *Haſſiæ Landgraviis*, deputatis, habitæ. *Literæ Theologorum Haſſiacorum* ad Synodum Caſſellis anno 1572. habitam convocatorum, JOANNIS PISTORII, BARTHOLOMÆI MEYERI, CASPARIS TOLDE, CHRISTIANI GRAVII, MELCHIORIS SCHOTTI & PETRI VOLZII, quæ extant **in der Widerlegung derer in Heſſen-Caſſel publicirten Wechſel-Schrifften** p. 37. **Die** Motiven **der verweigerten** ſubſcription **der ſynodaliſchen Abſchiede** p. 31. 58. **Fernere Ausführung der** Motiven **und Urſachen** p. 74. HENRICUS LEUCHTER **in dem Bericht von dem alten und wahren Glauben der Heſſen** p. 220. JO. ANTRECHTI *orat. funebr.* infra p. 20. HERMAN. VULTEJI *epiſtola ad Gualterum* in appendice II. p. 55. & 105.

buit. Dictu propemodum incredibile est, quam teneram in res divinas voluntatem, quam promptum obsequendi studium & quam inflammatum ad magna quævis enitendi ardorem in ipsa adhuc tenerrima hac ætate præceptores sint admirati. Secesserat inter hæc anno nimirum MDLX. *Marburgum* JUSTUS VULTEJUS pater, ibique latior in literarum stadio strenue desudandi campus aperiebatur filio, ad magna quævis indefesso ardore grassanti. Obtigerat ipsi hæc felicitas, ut prima elegantiorum scientiarum principia non ab ineptis scholarum Orbiliis, sed a doctissimis, qui ea ætate Marburgensi Pædagogio præerant, viris degustanda propinarentur, a quorum ore dum indefessus pendebat, ea Latini, Græci & Hebraici Sermonis fundamenta jaciebat solidissima, quibus deinde magnificam & avito nomine dignissimam absolutæ eruditionis molem quam securissime imposuit. Frequenti-

quentiori deinde linguarum harum usui assuefactus, id inde commodi retulit, ut Hebræorum, Græcorum & Romanorum mores atque antiquitates ex assidua optimorum Scriptorum lectione sibi reddiderit familiarissimas. Eloquentiæ autem studio eo majori cum industria incubuit, quo utiliorem eam ad commovendos perversos mortalium animos sibi futuram animadvertebat.

Combiberat intra paucorum annorum spatium hæc scientiarum fundamenta tam alta mente VULTEJUS noster, ut prudentissimi cujuscunque judicio dignus existimaretur, qui ex scholæ cancellis dimissus publicas lectiones doctissimorum tunc temporis Academiæ Marburgensis Professorum cum fructu adiret.

Mature igitur, neque tamen immaturo consilio, inferiores scholas valere jussit, nomenque suum JOANNE LONICERO, *Theologiæ & Græcæ linguæ Professore, u)* fasces Re-ctora-

u) Exhibent ejus vitam BOISSARDUS in

ctorales Academiæ Marburgensis ultima tunc vice tenente, anno MDLXIII. *die* XIX. *Octobris* inter cives Academicos est professus *x*).

Eve-

in Icon. viror. Illust. P. III. p. 179. ADAMI *in vitis philosophorum* p. 115. BURCH. GOTTH. STRUVIUS *in Actis Litter.* T. I. p. 108. MORERI *dans son Dictionaire* voce *Lonicer.* D. JOAN. TILEMANN. *in vitis Profess. Theol. Marburg.* p. 76. & JO. STEUBERUS *in orat. seculari* MSS. proxime *Analectis nostris* inserenda.

x) Ceu testantur *Annales Academiæ Marburgensis MSS.* ut inde facile refutentur ADRIEN BAILLET *dans ses jugemens des savans* T. VI. p. 164. qui eum usq; ad annum ætatis suæ quartum & decimum in schola Wetterana remansisse credit, scribens: *il fit ses humanités dans son pays. A quatorze ans il alla à Marbourg, où il passa Maitre es Arts ou Docteur en Philosophie à dix-neuf ans*; & PAULUS FREHERUS *in Theatro viror. eruditor.* p. 1067. qui Vultejum anno demum decimo quarto ad lectiones publicas admissum fuisse refert.

Evenit non raro, ceu quotidiana nos docet experientia, ut ii, qui in scholis optimam futuræ perfectionis spem de se præbuerant juvenes, ad vitam tandem Academicam dimissi sub specioso libertatis Academicæ nomine quibuscunque libidinum generibus sese conspurcent, &, dum genio suo indulgendi licentiam nanciscuntur, Baccho potius & Veneri sacra ibidem faciant, quam ut solidum veræ eruditionis thesaurum futuro usui colligant congregentque. At longe alia mens erat VULTEJO nostro, qui stimulum intimo pectori infixum sentiebat, ut congenitam cum Majorum sanguine gloriam propriis factis illustriorem redderet, probe gnarus: monstri simile esse, si a perspicacibus aquilis infanda progeneretur upupa, & leonum sanguis in stupidum agnum pudenda metamorphosi transmigraret. Hinc cum ad solidam eruditionem perventuro summe necessariam esse eam scientiam animadverteret, quæ

ratione

ratione nostra recte uti nos doceret, ipsa scientiarum, ut vocant, philosophicarum principia eo, quo jam cœperat, tramite longe laudatissimo sibi altius ruminanda serio proponebat. Profitebatur tunc temporis magna cum celebritatis laude in Academia Marburgensi physicam reliquasque philosophiæ practicæ partes PETRUS NIGIDIUS y), qui cum patre JUSTO VULTEJO omnem impendit operam, ut perspicacissimæ mentis juveni solida sanioris philosophiæ fundamenta omni cum dexteritate instillarentur. Neque tamen in eo ingenii judiciique vires exercebat, ut secundum perniciosissimum, qui tantum non ubique tunc invaluerat morem, ineptas quasdam, imo ridiculas quæstiunculas in unam alteramve partem defen-

y) Cujus vitam habet FREHERUS l. c. p. 1497. conf. RUDOLPHI GOCLENII oratio de vita & morte Petri Nigidii habita 1585. in *Elencho Prof. Academ. Marburg. p. 69.*

defendere z), aut insolubiles aliquas sophismatum species nosset proponere

z) In eo enim præcipua illorum, qui philosophiam tunc temporis docebant, consistebat eruditio, ut absurdis distinctionibus disputationibusque commissam sibi juventutem lictorum more cruciarent, & anilia quædam futilium ingeniorum deliramenta pro sapientia, fumum pro veritate, ipsis venderent. Apprime huc quadrant, quæ de philosophis quibusdam Græciæ narrat JAQUES CHARPENTIER *dans la vie de Socrate p. 63. Il y avoit alors*, inquit, *dans la Gréce grand nombre de certains Sophistes, qui faisant profession d'enseigner les sciences, attiroient à eux la jeunesse, prenoient de grandes sommes d'argent pour vendre de la fumée - - Toutes leurs belles promesses se terminoient à quelques legéres connoissances de choses, & à de longues disputes, ou ils exercoient leurs disciples, pour leur apprendre a prouver tout ce qu'ils voudroient soutenir, sur quelque matiére que ce soit. Car c'etoit la leur grand secret ayant pour but principalement d'eblouir ses foibles, & de se faire admirer des ignorans.*

nere ; quin potius id sollicite agebat, ut tradita logices, ethices atque politices principia ad rectæ rationis decempedam examinaret, examinata vero ad usum bene beateque vivendi rite applicaret. Quo autem majori usui ad propositam metam perveniendi mathesin sibi fore existimabat, eo ardentiori studio VICTORINI SCHOENFELDII, *a*) exercitatissimi in hoc studiorum genere viri, lectiones publice ac privatim frequentabat. Assidua Scriptorum Græcorum lectio his studiis accedebat, quam linguam ductu inprimis BERNHARDI COPII sibi familiarissimam reddere annitebatur.

Proceres Marburgensis Academiæ indefessum hunc Vulteji laborem non sine admiratione hactenus observaverant, & unanimi consensu eum, etsi vix annum ætatis quartum decimum egressus esset, dignissimum judica-

a) Ejus vita extat apud FREHERUM l. c. p. 1293.

dicabant, qui per M. PETRUM NIGIDIUM *die XVI. Martii* anno MDLXX. *prima laurea*, tanquam publico diligentiæ ac eruditionis testimonio, donaretur *b*).

Novo hoc honore auctus VULTEJUS noster incredibili exterarum Academiarum visendarum cupiditate flagrabat, nihilque magis in votis habebat, quam ut alios etiam clarissimos viros docentes audiendi ipsi daretur occasio. Pater justissimo ipsius desiderio facile annuens *Heidelbergensem Academiam* præ cæteris omnibus eligebat, cujus fama universum tunc terrarum orbem adimpleverat. Anno igitur insequente MDLXXI. dimissus, iter lætus adiit, remotisque, quæ obstare videbantur, impedimentis omnibus, incolumis ibidem appulit, & in sic dictum *Sa-*

 pien-

b) *Acta Facultatis Philosoph. Marburg. MSS.*

pientiæ Collegium c) fausto omine receptus est.

Felicissimus erat scholæ illius tunc temporis status, in qua convocati ex omnibus Europæi orbis partibus doctissimi viri optimas quascunque scientias tanta cum celebritate ac ardore auditoribus suis tradebant, ut cum Musis ipsis Apollinem huc commigrasse existimasses. ZACHARIAS URSINUS Physicam, LAMBERTUS RUDOLPHUS PITHOPOEUS Arithmeticam & Astronomiam, MATTHÆUS LAUNOJUS Philosophiam practicam, GUILIELMUS XYLANDER literaturam Græcam magna cum nominis fama interpretabantur. Neque tam opportunam ingenii magis magisque excolendi occasionem præterlabi sibi passus est Vultejus noster; quin potius omnem impendit operam, ut ad doctissimorum

c) PERSONALIA VULTEJANA concioni funebri a JUSTO FEURBORNIO habitæ subjuncta.

morum horum virorum conversationem & familiaritatem aditum sibi pararet, qui felicissimas, quibus a Deo præditus erat, animi dotes admirati, benevolentia & quocunque amoris genere ipsum prosequebantur. In privatis æque ac publicis lectionibus indefessus ab eorum ore pendens, id inde commodi retulit, ut collecto uberrimo eruditionis thesauro domum non sine gloria potuisset redire. Verum habent hoc sublimes animæ sibi velut proprium, ut unam alteramve disciplinam addidicisse nequaquam ipsis sufficiat, sed aquilarum more altius semper evolare concupiscant. Hinc rite absoluto scientiarum, quæ ab humanitate nomen acceperunt, curriculo, Theologiæ studio totum quantum sese addixit, præeuntibus duobus Viris, ob integritatem vitæ & eruditionis famam celebratissimis, IMMANUELE TREMELLIO & HIERONYMO ZANCHIO, cui locos comunes Theologicos tunc tem-

poris explicanti individuus comes adhæsit. Quum vero linguæ sanctæ peritiam alterum quasi Theologiæ oculum esse nosset, Tremellii inprimis opera tam egregias in ea fecit progressus, ut non divinam solum voluntatem ex ipsis S. Scripturæ fontibus posset haurire, verum etiam eam, si opus esset, publice profiteri *d*).

Integrum triennium erat elapsum, quod VULTEJUS his studiis occupatus Heidelbergæ remanserat, cum a Patre per literas domum revocabatur. Ejus ergo voluntati morem gesturus fautoribus & amicis valedicit, & actis modeste pro præstita ipsorum benevolentia gratiis, itineri sese accingit, quod feliciter emensus, parentes non sine lætitiæ sensu in patria amplectitur. Ut vero tam patribus quam civibus Academicis ingenii sui præstantiam & conquisi- tum

d) Teste JO. ANTRECHTO *in præfat. orat. funebr.* in Append. I. p. 4.

tum doctrinæ apparatum probaret, summos quantocyus in Philosophia honores decenter petiit. Quorum adeo non tulit repulsam, ut potius ad consueta admissus examina inter quatuordecim competitores secundum obtineret locum, etsi omnium judicio dignissimus haberetur, qui principem occuparet. Ornatus igitur anno MDLXXIV. *die* IX. *Decembris*, promotore BERNHARDO COPIO, *Græcarum literarum Professore Ordinario*, dignitate *Magisterii* e) id sibi sedulo agendum esse existimavit, ut collectas ubique scientiarum merces privata cura disponeret, &, si quid ad plenissimum apparatum forsan deesset, propria industria domi compararet.

Sed non poterant excelsæ Vulteji nostri virtutes longo tempore in abscondito latere, quin potius Marburgensis Academiæ proceres earum

 splen-

e) *Acta Facultatis Philos. Marburgensis MSS.*

ſplendore incitati digniſſimum eum judicabant, qui publicis officiis admoveretur. Offerebant *primarii præceptoris munus* in Pædagogio, quod etſi omni niſu detrectaret, ex patris tamen voluntate die XXIV. *Februarii* Anno MDLXXV. tandem in ſe ſuſcepit *f*), & non ſine multorum applau-

f) Teſtatur hoc JUSTI VULTEJI, patris, *fauſta precatio* ad Hermannum filium ad ſcholaſticum munus Pædagogicum proximum a Pædagogiarcha ſuſceptum ipſo die Mathiæ ſacro, anno 1575. quæ extat *Carmin. ejusd. L. III. p.* 344.

Hæc Deus e coelo tibi munera prima ſecundet,
Principium fecit queis hodierna dies.
O Hermanne patris Vulteji maxima cura,
Utiliter tibi ſint hac ea cepta die.
Te timor ille Dei, te ſpesque fidesque gubernet.
Tunc ego te cara prole beatus ero.
Quod geris officium ſi recte geſſeris, ultro
Mox dabit his donis ſplendidiora Deus.
Nunc operam patriæ primam navare memento,
Quod patriæ dederis, hoc dabis omne Deo.

applausu, quamvis vix per duos menses g) administravit.

Obierat inter hæc *ultima* scilicet *die Mensis Martii* JUSTUS VULTEJUS pater, & hinc sui juris factus, abjecto scholastico pulvere, cui invitus se addixerat, ex docentium numero ad discentium subsellia redibat, ut, quod dudum in votis habuerat, vastissimum illud Jurisprudentiæ pelagus enavigaret. Erant eo tempore in Academia Marburgensi duumviri per Germaniam universam eruditionis fama conspicui, REGNERUS SIXTINUS & HERMANNUS LERSNERUS, qui Castoris & Pollucis instar, per immensum illud Jurisprudentiæ mare decursuris auspicato præibant lumine, &, quam tenerent viam, felici sidere commonstrabant. Horum consiliis & auxiliis adjutus eo faciliori opera ad ipsa Divi Justiniani reliquorumque Legislatorum arcana pene-

g) Vide sis *Personalia Vultejı* Concioni funebri annexa.

penetravit, quo instructior jam tum erat iis disciplinis, sine quarum cognitione vera & perfecta juris Romani notitia non potest comparari *b*). Utebatur praeterea NICOLAI VIGELII

b) Praeterlapsa sunt aurea illa Balduini, Hottomanni & Cujacii secula, de quibus merito dici poterat: *Jurisprudentia serenam illuxisse diem, cujus luce difflatis barbariæ nubibus pateret sincerus Romani juris aspectus.* Iis enim temporibus nemini ad Themidis sacra aditus permittebatur, qui non prius divitem eloquentiæ, historiarum, logices, ethices reliquarumque philosophicarum disciplinarum thesaurum, sine quarum cognitione Jus Romanum nec commode intelligi, nec rite applicari potest, sibi collegisset. Hodie hic mos in desuetudinem abiit. Plurimi enim, ne dicam omnes, illotis manibus ad juris studium accedunt, & dum vix digni sunt, qui inter Rabularum & Causidicorum plebem infimum locum occupent, superbo JCtorum titulo gloriantur. Quæ vero incommoda ex perversis eorum sententiis &

GELII & privata JOANNIS ANTRECHTI, soceri mox sui, institu-

C 5 tio-

& superficiaria eruditione Reipublicæ postea immineant, si illius gubernationi admoventur, salse deplorat acutissimi ingenii Vir, VITUS LUDOVICUS a SECKENDORFF in den Zugaben und Errinnerungen zum Teutschen Fürsten-Staat s. 32. cap. 7. nr. 4. p. 205. denn anderst/ inquit, raisonniren diejenigen/ welche vermeynen/ es stehe alles/ was zu Verwaltung des Regiments gehöret in corpore juris, oder sey doch daraus per analogiam zu ziehen; und das thun gemeiniglich solche Personen/ welche fürnehmlich das jus privatum und zwar mit etwas mehrerm Fleiß/ als in gemein geschiehet/ studiret haben/ und bey Regiments-Geschäfften nicht herkommen sind: weil sie aber gleichwohl hin und wieder etwas von dem Staat/ oder/ wie sie reden/ de sacris, sacerdotibus & magistratibus in corpore juris finden/ so pflegen sie gemeiniglich alles was sie auch in Staats-Sachen hören oder vorbringen/ aus einem brocardico oder axio-

tutione, cujus imprimis eruditionem, insignem dexteritatem & quem abunde expertus est, amorem pro merito extollere nunquam satis potuit *i*).

Cum vero tot diversissimas & sæpius sibi invicem contrarias in Jurisprudentia animadverteret sententias, non abs re futurum credidit, si ad

axiomate juridico zu deduciren / oder dahin zu appliciren / und halten diejenige / welche Philosophos und Theologos morales, auch viel politicos und historicos gelesen / und in argumentationibus zu brauchen / auch ad captum, und zu mehrer Bewegniß der Regenten neben der allegation des Rechtens wohl zu appliciren wissen / für grammaticos u. bloße philosophos. Verum produnt inepto hoc judicio cœci hi Romani juris adoratores suam ignorantiam & in dijudicandis rebus, quæ ad Reip. salutem pertinent, imperitiam.

i) Confer HERM. VULTEJI *epistolam ad Petr. Lotichium in Append. II. p.* 88.

ad illas dissolvendas aliorum etiam illustrium virorum effata in auxilium vocaret, probe guarus Ulyssæam sapientiam non in unius Ithacæ finibus conquiri. Neque a proposito sibi scopo ulla ratione abduci potuit VULTEJUS noster, sed relictis patriis laribus anno MDLXXVI. *Genevam k)* sine mora abiit. Evaserat huc ex laniena Parisiensi cum ENI-

k) Vapulat enim JUSTUS SINCERUS, seu quisquis sub personato hoc nomine latere voluit, *in vitis JCtorum T. II. p.* III. quando Vultejum nostrum *Jenam* profectum fuisse somniat, ut *Francisci Hottomanni* & *Julii Pacii* lectiones frequentaret. Neuter enim illorum *Jenæ* unquam docuit, etsi ille, docente *vita ejus a* PETRO NEVELETO DOSCHIO conscripta, omnes propemodum Europæi orbis angulos pererraverit; hic vero modo in Italia, modo in Helvetia, modo Heidelbergæ, Sedani, Valenciæ, imo in ipsa Hungaria merces suas juridicas venales exposuerit. Evolve, si lubet, GUNDLINGII *otia P. III. p.* 244.

ENIMUNDO BONEFIDIO 7) lumen

7) Qui vero antequam Vultejus Genevam pervenerat, nimis mature fatis functus erat. Sic enim notissimus Galliæ historiographus & Regii Parlamenti Præses, JACOBUS AUGUSTUS THUANUS, *Historiar. Libr. LIX. T.* III. *p.* 66. edition. Aurelianens. *Eodem anno* (1574) VI. *Id. Febr. Genevæ, cum tantum* XXXVIII. *annos exegisset, fato functus est Enim. Bonefidius, Chabovii ignobili vico in Valentino agro apud nos natus, homo probus & simplex, qui cum pedem patria nunquam extulisset, tamen Hebraicis, Græcis & Latinis literis ita egregie instructus erat, ut in celeberrimis orbis Academiis operam studiis dedisse sub præstantissimis magistris crederetur: in Juris autem scientia, quam Valentiæ profitebatur, adeo excelluit, ut* Jacobus Cujacius, *qui principatum illius tenebat, alicubi scripserit, si moriens rogaretur, ut olim Theophrastus, non alium habere se, quem discipulis suis posset ostendere. Post tumultum Parisiensem cum* Fr. Hottomanno Genevam *concesserat, ubi jus orientale, cujus* iam

men illud Galliæ, FRANCISCUS HOTTOMANNUS m), cujus visendi & alloquendi desiderio nimium quantum flagrabat. Atque non hunc solum fautorem & amicum illico expertus est Vultejus, verum ejus etiam opera JULII PACII amorem & benevolentiam sibi conciliavit. Præbuit in omnibus se dignum tam illustribus præceptoribus discipulum, & cum sæpius opponentis partes non sine gloria in se suscepisset, tandem de

jam specimen aliquod ediderat, majori opera illustrare aggressus, morte post bienium superveniente, spem de se, tanto viro, conceptam fefellit. Cui me nunc tanquam Præceptori de me secundum ipsum Cujacium *&* Franciscum Roaldesium, *quibus simul eo tempore operam Valentiæ navavi, optime merito, hoc monumento parentare æquum justumque duxi.*

m) Quando hoc factum sit, concludere potes ex BULLINGERI *literis*, quæ reperiuntur inter HOTTOMANNIANAS ex bibliotheca JANI GUILIELMI MEELII editas *p.* 34.

de difficillima pactorum materia magno cum Germanorum ac Gallorum applausu publice disputavit. Postquam igitur hac ratione eruditionem suam abunde omnibus probasset, consentiente Senatu Academico collegia dialectices & oratoriæ aperuit, imo ipsas Divi Justiniani institutiones in frequentissima studiosorum corona interpretatus est *n*).

Etsi vero omnia ex animi sententia VULTEJO Genevæ cederent, ineunte tamen anno MDLXXVII *o*) consilium cœpit Italiam ejusque celebriores Academias perlustrandi. Flagitabant amici, ut longiori præsentia eos honoraret, inter quos inprimis PETRUS STORCKIUS, *Argentoratensis* postea *Reipublicæ Consul, almaque Universitatis Scholarcha*, & MATTHIAS ANOMÆUS, magni nominis *in Austria superiore Medicus*, erant, quos intima sibi familiaritate

n) PAULUS FREHERUS l. c. aliique.
o) *Personalia* concioni funebri subjuncta.

te junxerat *p*). Verum ille precibus eorum inexorabilis Geneva discessit & itinere *per Helvetiam* facto celebriores ubique urbes perlustravit, visisque ex peregrinantium more, quæ in *Venetorum metropoli* asservantur rarioribus omnibus, *Patavium* salvus ac sospes tandem pervenit. Audivit hic famigeratissima illa Juris Romani oracula, JACOBUM MENO-

p) Testatur id ipsum MATTHIAS BERNEGGERUS *in laudatione posthuma Petri Storckii* die 22. Maji 1627. defuncti. *Sed & experientiæ*, inquit, *doctrinæque suæ cumulum ampliorem adjecturus anno* MDLXXVI. *primo vere* Genevam *abiit, ubi præter alios nobilitate generis ac dignitate præstantes homines intima sibi junxit familiaritate, tum* Hermannum Vultejum, *summatem postea Jurisconsultum Germaniæ, tum etiam* Mathiam Anomæum, *virum eruditissimum, quem postmodum artis Medicæ Doctorem eximium, in Austria superiore puer vidisse memini.* Confer MATTH. BERNEGGERI *epistola ad Herm. Vultejum* in Appendice II. *p.* 98.

MENOCHIUM, q) TIBERIUM DECIANUM & GUERNERUM PISONEM SOACIUM r), quorum ductu vastissimum Jurisprudentiæ oceanum felici sidere est emensus.

Neque

q) Qui *Ticini* in templo *S. Mariæ Clericor. Regul.* sepultus jacet, ubi statuæ ejus marmoreæ hæc inscripta leguntur, referente JACOBO PHILIPPO THOMASINI *in elogiis viror. doctor.*

JACOBUS MENOCHIUS
Magnum Justitiæ oraculum
In Pedemontana, Patavina Ticinensi Cathedra, tum Mediolani, cum Senatorem, mox Præsidem & Regium agere consiliarium, denique in orbe universo auditum hic tacet, Consulenti tamen adhuc responderet, si plura quam scripsit, dici possent. Obiit anno Christiano MDCVII. die X. Augusti.
Natus Annos LXXV.

r) Refert quidem PAULUS FREHERUS

Neque diutius hic remanere e re sua credidit Vultejus noster, cujus in eo nunc omnis vertebatur cogitatio, ut ad uberiorem ingenii sui culturam exteras regiones adiret. Relicto igitur Patavio *Italiam* & *Galliam* peragravit, celebrioresque ibidem Academias *Bononiensem*, *Senensem*, *Pisanam*, *Romanam*, *Neapolitanam*, *Taurinensem*, *Ticinensem*, *Bituricensem* aliasque maxima cum animi voluptate perlustravit. Reliqua inter, quæ copiose ex his itineribus in se derivari sensit emolumenta, nec hoc postremum semper censuit, quod cum celeberrimis Galliæ & Italiæ totius viris amicitiæ fundamenta

D tunc

RUS in *theatr. vir. Illustr. p.* 1076. Vultejum nostrum Patavii etiam JOANNEM CEPHALUM præceptorem habuisse; verum quam parum fundamenti hoc habeat, ex eo liquet, quod jam anno 1576. antequam Vultejus huc venisset, e vivis excesserit, teste ANTONIO RICCOBONI *in Gymnas. Patav. L. II.* & JAC. PHIL. TOMASINI l. c.

tunc posuerit; arbitratus, eum denique pulcherrimum esse ex peregrinationibus fructum, qui non tam ab ædificiorum pomparumque inanium curiosa inspectione, quam ab eruditorum potius & purpuratorum consuetudine caperetur.

Revertendum nunc sibi in patriam credebat VULTEJUS, ex qua per integri triennii spatium abfuerat. Ineunte igitur an. MDLXXIX. iter *per Stiriam* ingressus non sine singulari fato innotuit illustrissimo & ob omnigenæ eruditionis amorem vere nobili, *Libero Baroni ab* ENSENNIZ, qui egregias ejus dotes admiratus, enixe rogabat, ut studia moresque filiorum moderaturus domi suæ remaneret *s*). Non potuit conceptæ tanti viri de se spei diutius reluctari, sed demandatam sibi spartam lætus obivit, eumque se gessit, ut neque in erudienda juventute

s) *Personalia* concioni funebri subjuncta.

tute fides, neque in perferendis laboribus industria, neque in promovendis patroni sui commodis solertia ab eo potuerit desiderari. Conciliaverat sibi inter hæc plurimorum Austriæ Stiriæque Magnatum, quibus præclaræ VULTEJI nostri virtutes innotescebant, favorem ac benevolentiam, eorumque commendatione variæ eæque sat lautæ ipsi offerebantur conditiones, ut spretis etiam, quos patria pollicebatur, honoribus sedem in his terris figendi consilium iniret.

Hæc dum animo secum volvebat, ultimum prius studiis suis colophonem addere, & promeritis dudum Juris honoribus solemni ritu inaugurari avebat. Dimissus igitur, quamvis ægre, sub ejusdem adhuc anni finem itineri *per Bavariam* instituto sese commisit & postquam *Argentorati* per aliquot dies commoratus & doctissimis ibidem viris familiariter usus esset, *Basileam* felici sidere per-

 venit

venit. Aperuit illico amplissimo JCtorum Ordini suum desiderium, qui honesto ipsius petito annuentes diem consueto examini præfigebant, & quamvis propositas ad resolvendum intricatissimas Romani juris quæstiones subtilissimis ac eruditissimis argumentis impugnarent Academiæ Proceres, virium ejus probe gnari, mota tamen dubia Romano eoque facundissimo ore docte dissolvebat, imo, ut verbo absolvam omnia; talem se re ipsa præstabat, qualem jam tum fama cognoverant. Superatis igitur summa cum omnium admiratione examinibus, inauguralem, ut vocant, dissertationem *de servitutibus t*) non minori cum laude defendit, atque una cum JOANNE ZANGERO, celebri deinde JCto, *u*) summos in utroque Jure honores & privilegia Doctoralia inter publicos applausus atque solemnia gratu-

t) *Personalia Vultejana.*

u) Vide RETHMEYERI Braunschweigische Chronick Tom. III. *p.* 415. *Suppl. p.* 139.

gratulantium vota *die* II. *Februarii* anni MDLXXX. rite ac legitime consecutus est *x*).

His igitur honoribus ac privilegiis condecoratum patria *mense* tandem *Martio y*) recepit. Exhilaravit inopinato hoc reditu matrem & amicos, quorum tamen gaudium mox in mœrorem conversum fuit, cum in ea esse sententia Vultejum animadverterent, ut compositis rebus domesticis quantocyus in

x) Confer HENNINGI THEODORICI, Halberstadiensis Saxonis, *carmen gratulatorium*, cum præstantissimis viris, HERMANNO VULTEJO, Veterano *Hasso*, & JOANNI ZANGERO, Brunsuicensi Saxoni, honores Doctorales in inclyta Academia Basileensi conferrentur, excusum *Basilea* 1580. & THEOBALDI MULLERI *elegiam gratulatoriam*, qua Herm. Vultejo de insignibus Doctoralibus gratulatur.

y) *Personalia* concioni funebri subjuncta.

Auſtriam reverteretur, patriæ in æternum vale dicturus. At noluit divina providentia, ut Haſſia tanto dono privaretur, quæ arctius eum penatibus adſtringendi exoptatam obtulit occaſionem. Fatis enim functo FRIDERICO III. *Electore Palatino*, & ad Imperium veniente LUDOVICO, Lutheranæ religioni addictiſſimo, HUGO DONELLUS in Lugdunenſem Academiam ſeceſſerat, z) in cujus locum Heidelbergam vocatus VALENTINUS FORSTERUS, *Juris* hactenus *in Academia Marburgenſi Profeſſor primarius*, impetrata venia *die* XXVI. *Auguſti* illuc commigravit. Succedente autem ipſi REGNERO SIXTINO, qui tunc Academiæ faſces tenebat, in Facultatem Juridicam BERNHARDUS COPIUS fuit receptus. Docuerat hic

z) Lege viri poſt fata etiam magni NICOLAI HIERONYMI GUNDLINGII Nachricht von *Hugonis* Donelli fatis und Schrifften in der neuen Bibliothec Tom. III. p. 308.

hic non ſine laude Græcam literaturam, cui profeſſioni ut novus præficeretur Hercules, Academia exoptabat. Neque anxie diſpiciendum fuit, cujus humeris tantum onus imponeretur, cum rara VULTEJI noſtri eruditio, & ut in aliis omnibus, ita in his quoque ſtudiis peritia omnium oculos in ſe faciliime convertiſſet. Pervenerat jamdudum pernicibus alis tanti viri fama ad aures Sereniſſimorum Academiæ Nutritorum, WILHELMI *Sapientis* ac LUDOVICI *Senioris*, *Haſſiæ Principum*, quibus nihil erat antiquius, quam ut exaratis *ultima Auguſti* legitimæ vocationis tabulis *Profeſſoris Græcæ linguæ* dignitatem ipſi conferrent *a*). Vidit non ſine gaudio exorientem hanc futuræ felicitatis auroram, & clementiſſima Principum ſuorum voluntate, graviſſimis amicorum rationibus expugnatus, patriæ

a) *Annales Academiæ Marburgenſis* MSS. & *Perſonalia Vultejana*.

operam suam addixit, ac habita pro more laudatissimo solemni oratione *de laudibus Græcæ linguæ*, demandatum munus *mense Septembri* rite auspicatus est *b*). Quam uberem vero ex ejus collegiis, quæ aperiebat, fructum studiosi collegerint, vel ex eo liquet, quod sub hujus adhuc anni finem, *die* scilicet XXII. *Decembris*, in octodecim magnæ spei Juvenes Magisterii gradum promotor contulerit *c*).

Vix autem annus MDLXXXI. sua cepe-

b) Testantur id *Carmina gratulatoria* in gratiam Clarissimi ac Doctissimi Viri D. HERMANNI VULTEJI, J. U.D. cum ei Græcarum literarum professio in inclyta Marburgensi Academia *mense Septembri* demandaretur, scripta a REINERO LANGIO, CONRADO ARNOLDO, *Esseno*, & JOANNE CALVINO. Excusa *Marburgi* per *Augustinum* Colbium anno 1580.

c) *Acta Facultatis Philosophicæ Marburgensis MSS.* ad h. a.

ceperat primordia, cum VULTEJUS noster de ineundo matrimonio serio cœpit cogitare, & priscæ virtutis Germanæque fidei Viri, WIGANDI HAPPELII *J. U. D. ejusdemque in Alma Marburgensi Professoris, d*) filiam EULALIAM ADELHEIDEM *die* III. J*anuarii* faustissimo omine sibi desponsavit; celebratisque XXIV. *mensis Aprilis e*) solemni ritu nuptiis, illam vitæ thorique sociam obtinuit, quam non tantum virginalis pudor, exoptata fœcunditas & deprædicanda omnium muliebrium virtutum copia posteris commendavit, sed cum ea etiam magni illius Germaniæ Præceptoris, PHILIPPI MELANCHTHONIS sanguinem

d) Vitam ejus exhibent MELCHIOR ADAMI *in vitis JCtorum p.* 88. & PAULUS FREHERUS *in theatro erudit. p.* 861.

e) *Personalia* concioni funebri annexa.

nem Familiæ ſuæ multo nobiliſſimæ feliciter intulit *f*).

Verum

f) Eam enim ex antiqua STUICHSIORUM familia, in Palatinatu *Brettæ* oriunda, PHILIPPI MELANCHTHONIS *ex ſorore neptem* fuiſſe ex ſchemate, quod hic ſubjicimus, clarius patebit.

Georgius Schwarzerd.
Uxor
Barbara, filia Joannis Reuteri
Præfecti Brettani.

Philippus Schwarzerd a Reuchlino MELANCHTHON, dictus.

Margaretha Schwarzerd
Maritus
Andreas Stuichs *von Neumarck, Cantzley-Herr zu Heidelberg.*

Cathar. Juſtina Stuichſin
Maritus
Wigandus Happelius
J.U.D.& Prof. Marburg.

Eulalia Adelh. Happe a
Maritus
HERM. VULTEJUS.

Conferatur JOACH. CAMERARII *vita Philippi Melanchthonis p. 2.*

Verum ut in rebus humanis nihil est sic auspicatum, nihil ita jucundum & ab omni parte beatum, quin infausta quædam subinde gaudium nostrum interrumpat catastrophe; sic ex eo acerbum dolorem sibi infligi sensit Vultejus noster, quod non solum fautorem & amicum optimum JOANNEM HEINZENBERGERUM, *Serenissimi Principis* LUDOVICI *Cancellarium*, die III. Februarii ejusdem anni amisisset, g) verum etiam pestis in urbe Marburgensi grassari inciperet, &, si non ruinam, gravissimum damnum tamen Academiæ minaretur. Dispersis enim hinc inde Musarum filiis studia tepescebant, imo non pauci naturæ debitum exsolvere cogebantur, inter quos BERNHARDUM COPIUM, Juridicæ professioni vix nuper adscriptum, Academia lugebat. Ut vero perpessam ex obitu hujus viri jactu-

g) Lege JOANNIS FERINARII *orationem de vita & obitu D. Joannis Heinzenbergeri* Marburgi 1581. excusam.

jacturam publice testatam facerent, VULTEJO nostro imponebant Academiæ Patres, ut *funebri oratione* justa ipsi persolveret, *h*) & egregia ejus in remp. literariam merita digno elogio posteritati commendaret. Quod quanta cum dexteritate & eloquentiæ flumine egerit, ii norint necesse est, qui Vulteji scripta vel levi oculo perlustrarunt.

Cessaverat interea malum, & ut Aca-

h) *Annales Academiæ Marburgensis* MSS. hæc referunt. *Anno* 1581. *Rectore Regnero Sixtino die* 12. *Novembr. cum pestis invasisset. ædes Cl. Viri*, Bernhardi Copii J. U. D. *& Professoris Institutionum, & ipse ex morbo correptus est, pieque obdormivit. In ejus laudem ac honorem lugubres orationes habuerunt* D. Hermannus Vultejus *&* M. Reinerus Langius: *atque hic postea filiam ejus unicam uxorem duxit, ille in Juridicam Facultatem receptus ei successit, & Institutiones explicandas aggressus præfatione usus est in pleno Professorum consessu.*

Academia pristino splendori restitueretur, strenuus Copio successor, qui Juris institutiones exponeret, erat sufficiendus. Quod vero tota propemodum studiosorum cohors a SERENISSIMIS *Academiæ* NUTRITORIBUS literis supplicibus demisse flagitaret *i*), ut nullus alius quam VULTEJUS noster hac dignitate exornaretur: non abnuerunt WILHELMUS & LUDOVICUS, *Hassiæ Principes*, de præstantissimis Vulteji in patriam universam meritis abunde persuasi, sed datis ad Senatum Academicum literis, clementiæ ipsorum summis testibus, eum die

i) Sic enim *Personalia* concioni funebri subjuncta p. 33. da auch die Studiosi in grosser Menge von den damahligen regierenden Hochlöblichen Fürsten zu Hessen in Unterthänigkeit schrifftlich gebethen / daß unser Vultejus zur Juristischen Facultät befördert würde / so haben dieselbe darinnen gewilliget / und ist er zu Ende Decembris Professor Juris worden.

die XX. *Decembris* k) *Professorem Juris Ordinarium* & *Academiæ Syndicum* renunciarunt. Auspicaturus novum hoc munus, erudita præfatione *de dignitate Jurisprudentiæ* die VII. Januarii anni MDCLXXXII. iin solemni Professorum consessu usus est, & prima Juris elementa *decima ejusdem mensis* interpretari aggressus, *universæ Jurisprudentiæ ideam* προλεγομένων loco auditoribus suis proposuit, ea inprimis ratione motus, quod sapientissime perspiceret, quam pauci ad veram juris Romani cognitionem sint perventuri, si in addiscenda hac disciplina confusæ Justiniani methodo tenaciter inhærerent l). Prudentissimum hoc Vulteji consilium

k) Hunc enim diem in MSS. quodam CONRADI BACHMANNI, amici & coætanei, annotatum inveni.

l) Testatur hoc ipsum *in prolegomenis Jurisprudentiæ Romanæ præmissis*, ubi ita disserit: *Non desunt*, inquit, *qui methodum Justinianeam mordicus tenendam existimant. Pie quidem illi, sed nescio*

um communi doctorum virorum judicio & applausu fuit approbatum, & cum hanc ideam multum lucis intricato ac difficili juris studio allaturam cognoscerent, FRIDERICUS inprimis SYLBURGIUS ad eam

nescio an etiam satis recte. Docent quidem illi, qua methodo Justinianus usus sit, & quomodo titulos collocaverit, quod illorum studium tantum abest, ut improbem, ut etiam valde probem & laudem; verum inquirere simul in id debuerint, an eo modo tituli collocari debuerint, & annon methodo aliqua rectiori Compilatores uti potuerint, atque ea omni studio investiganda est a nobis etiamnum. Qua de re cogitavi sæpius, atque cum ad docendum jura primum accessi, quod factum est sub initium anni 1582. Ideam quandam dispositionis *publice proposui, qua cum typis postea esset divulgata, cogitare cœpi ea de re aliquanto accuratius, nullius profecto invitatione aut admonitione, cum aliorum cogitationes fortasse ipso etiam facto anteverterim, & quod existimarim, ea qua in Idea erant proposita, examinanda & proponenda esse aliquanto plenius.*

eam invito licet auctore brevi post excudendam JOANNI WECHELO, celebri typographo, auctor & suasor extitit. *m)*

Admodnm sapienter vero egerunt *Serenissimi Hassiæ Landgravii,* qui perspecta hac profunda VULTEJI nostri scientia, ipsum etiam juri dicundo præficiendum constituerunt, & *die* XXIV. *Aprilis* ejusdem adhuc anni *n)* *summi Dicasterii Hassiaci Assessoris* titulo ac honore mactarunt. Quam spartam qua fide & dexteritate exornarit, vel ex eo abunde liquet, quod communi prudentiorum omnium consensu vix in alio, quam hoc ipso Judicio, melius rectiusque justitia tunc temporis fuerit administrata. *o)*

Neque

m) Vide HERM. VULTEJI *literas ad Sylburgium* in Append. II. p. 55.

n) Prout hoc annotavit CONRADUS BACHMANNUS.

o) Vix præstantiori testimonio hanc veritatem corroborare potero, quam si *Illustrissimi* tunc temporis *Cameræ Imperialis*

Neque tamen hac ratione ab amore, quo Academiam Marburgensem prosequebatur, ullo modo abduci se passus est, sed nullis vigiliis, curis, atque laboribus pepercit, ut modis omnibus ejus splen-

E dorem

perialis Judicis MARQVARDI de hoc Judicio effatum ex HERM. VULTEJI *oratione funebri* in obitum LUDOVICI *Senioris* dicta p. 159. hic apposuero: *Committere*, inquit, *non possum, ut commemorare preteream, quam honorifice Cam. Imp. Judex MARQVARDUS de* hoc Hassiaco Judicio *senserit, Is enim cum omnium ac singularum, quæ tum in Judicio Cameræ Imperialis tractabantur, causarum cognitionem haberet exactam, ut nihil earum ipsum latere existimaretur, aliquando optasse fertur, in omnibus aliis, quæ sunt in Imperio Romano, judiciis tam legitime procedi, & tam incorrupte justitiam administrari, quam id omne fieret in judiciis Hessiæ; ita namque fore, ut in Imperio minus esset litium, earum vero, quæ ad Cameram Imperialem per appellationem devolverentur, expediendarum ratio facilior.*

dorem amplificaret. Non ſolum enim anno MDLXXXV. *die* XXI X. *Aprilis*, Rectore HERMANNO LERSNERO, doctiſſimis viris, JOANNI GOEDDÆO *Suertenſi*, *Juris* poſtea *Profeſſori* celeberrimo, & BARTHOLDO FROHN, *Lippienſi* ſummos in utroque jure honores rite contulit, *p*) verum etiam *menſis Auguſti die ultima* ejusdem adhuc anni Academiæ, quæ ob imminens peſtilentiæ malum *Francobergam* erat translata, commodis proſpexit, dum ſolemnem promotionis feſtivitatem ibidem celebravit *q*).

Qui ſequebatur an. MDLXXXVI. a laboribus Academicis ad Aulica negotia VULTEJUM evocavit. Fatis

p) *Annales Academiæ Marburgenſis MSS.* ad hunc ann.

q) Conferatur *Ecloga* in Hectorem Friderich, cum in celeberrima Marburg. Academ. jam *Francobergam* translata, a D. HERM. VULTEJO doctor renunciaretur, ultima Auguſti 1585.

tis functus erat ADOLPHUS, *Holsatiæ Princeps*, belli fama fortissimus Heros, ad cujus exuvias Majorum tumulo solemni pompa inferendas requirebatur, qui *Hassiæ Landgraviorum* personam repræsentaret. Neque quisquam alius WILHELMO IV. & LUDOVICO *Seniori*, severissimis ingeniorum arbitris dignior visus est, qui splendidissimi hujus muneris vices obiret, quam Vultejus noster, cujus virtus innumeris documentis illustrior quotidie fiebat & spectatior. Quamvis autem non deessent causæ satis graves, quæ, ut impositum onus deprecaretur, suadebant; nefas tamen arbitratus est, non obsequi tam benignæ erga se Principum voluntati, & viam ingressus, *Gottorpium* in *Holsatia* pervenit, benignissimeque exceptus, ea, qua pollebat, eloquentia, gravissimum ex tanti Herois obitu Hassiæ Principum dolorem testatus est, atque ex eorum jussu ac mandato so-

lemnibus exequiis *mense Novembri* magno cum honore interfuit.

Non leves autem inter FRIDERICUM II. *Daniæ & Norvagiæ Regem* atque *Holsatiæ Duces* de opulenta hæreditate gliscebant discordiæ, ad quas amice componendas una cum *Saxoniæ Duce* AUGUSTO & JOANNE GEORGIO *Brandenburgico, Electoribus*, nullis consiliis & sumtibus pepercit Germaniæ Nestor, WILHELMUS *Sapiens, Landgravius Hassiæ r*), qui insequente statim anno MDLXXXVII. VULTEJO nostro, cujus prudentiam animique fortitudinem abunde cognoverat, demandavit, ut solemni ad *Aulam Danicam Legatione* defungeretur. Ad cultum tanto Regi exhibendum solemniter admissus, quæ his de rebus in mandatis habebat, magna soler-

r) Confer WILHELMI DILLICHII **Hessische Chronick** *Part. II. p.* 337. HIERONYMI TREUTLERI *de vita & obitu Wilhelmi IV. Oratio p.* 60.

ſolertia ſperatoque ſucceſſu executus eſt, atque mox non ſine ſingularis clementiæ ſignificatione dimiſſus, in *arce Eutinenſi*, ſede Epiſcopatus Lubecenſis, JOANNEM ADOLPHUM, *Archiepiſcopum* tunc *Bremenſem*, poſtea *Holſatiæ Ducem*, ſalutavit, qui benigniſſimam ſuam voluntatem multis argumentis Vultejo teſtatus eſt *s*). Inter

E 3 re-

s) Conſtant hæc omnia ex ipſius HERM. VULTEJI *dedicatione ad JOANNEM ADOLPHUM, Archiepiſcopum* Bremenſem, *Jurisprudentiæ Romanæ* præmiſſa. *Quoties enim*, inquit, *temporis illius recordor, quo in Rev. Tuæ Celſ. notitiam primum deveni, recordor autem ejus quam ſæpiſſime, toties novi mihi adduntur ſtimuli, ut benevolentiam illam Rev. Tuæ Celſ. qua me tum complecti cœpit, non mihi tantum privatim notam, ſed publice etiam de ea omnibus conſtare oportere exiſtimem. Factum id eſt primum* Gottorpii in Holſatia anno 1586. menſe Novembri, *cum Rev. Tuæ Celſ. patris Dn. ADOLPHI, pientiſſimæ memoriæ Principis*

reliqua autem, quæ ipsi in hoc itinere obtigerunt felicia, nec hoc postremum judicavit, quod affinitatis vinculo sibi junctum Reverendissimum Virum, LUDOVICUM PINCIERIUM, *Canonicum* tunc *Lubecensem*, postea *Decanum & Consiliarium sanctiorem in Holsatia*, salvum rebusque florentibus utentem invenerit, ac veterem amicitiam & necessitudinem cum eo redintegraverit *t*). Nec hic laborum finis fuit, quos

pis, Illustrissimorum Hassiæ Principum jussu atque mandato *exequiis interessem. Eandem illam benevolentiam expertus sum postea annum ipsum mox insequenti* in arce Eutinensi, *sede Episcopatus Lubecensis, cum* ex Legatione Danica *domum me cum cæteris redeuntem Rev. Tua Cels. exciperet.*

t) Quam sancte postea & inviolabiliter conservarunt missis ultro citroque literis & literariis munusculis. Sic enim in Bibliotheca Vultejana reperi PHILIPPI MELANCHTHONIS *Epistolas ad Joachimum Camerarium*, cui hæc propria Princierii manu inscripta leguntur

quos ad promovenda Principum suorum, imo universæ Reipublicæ christianæ commoda in se suscepit Vulteius noster, qui *Gottingiam, Trevirim & Auburgum* in Comitatu Hoyensi, hæreditatis jure una cum ditione Plessensi & Principatu Schmalcaldensi nuper ad WILHELMUM devolutum *u*), jussu Superiorum abiit, ubi, quæ expedienda ipsi erant commissa, tam feliciter confecit omnia, ut ejus in subministrandis consiliis promtitudinem ac sapientiam, in exequendis autem fidem atque dexteritatem cuncti admirarentur.

Rebus autem his ex Principum

 suorum

guntur: *Clarissimo Doctissimoque Dn. HERM. VULTEJO, JCto, Academiæ Marburgensis Procancellario & Prof. primario, patrueli suo unice colendo, in sui memoriam d. d. LUDOVICUS PRINCIER, D. Decanus Lubeccensis die 25. Septembr. 1608.*

u) WILH DILICHII Hessische Chronick *Part. II. p. 334.*

ſuorum voluntate candide ac feliciter geſtis tantam ſibi ubique nominis famam conciliavit VULTEJUS, ut complures orbis Europæi Principes ex patria eum ad ſe certatim evocarent. Sane indulgentiſſimus bonarum artium ſtator, JOANNES CASIMIRUS, *Palatinus ad Rhenum Comes*, qui Reformatis ab Electore LUDOVICO Heidelberga pulſis *Neoſtadii* aſylum præbebat, VULTEJO noſtro, quamvis vix triginta duorum annorum viro, *x*) ſplendidiſſimam *Cancellarii dignitatem* offerebat. Sed recuſavit magno animo actis modeſte per literas gratiis honorificentiſſimam vocationem; & vix hoc metu liberatam ſe vidit Haſſia, cum *Heidelbergenſis Academia* Vultejum HIPPOLITO a COLLIBUS, ob controverſias, quas cum PACIO alebat, ad Syndici munus Baſileam migrante *y*), ſucceſſorem deſtinavit. Pau-

x) *Perſonalia Vultejana.*

y) Neutiquam enim jam fatis functus erat

Paulo post vero cum oblatam hanc ſpartam detractaret, JULIO PACIO in Pannoniam accito, & cum HENRICUS *Dux Bullionaeus*, novam Academiam *Sedani* aperuiſſet, illic invitato, ad *primariam Juris Profeſſionem* rurſus evocavit.

Verum ille ſpretis his omnibus

E 5 etſi

erat HIPPOLITUS a COLLIBUS, ceu putat JUSTUS SINCERUS *in vitis JCtorum p.* 115. ſed ob inimicitas cum Pacio Syndici munus apud Baſileenſes ſuſceperat. Vocatus autem poſtea a FRIDERICO IV. *Electore Palatino*, Conſiliarii ſanctioris & Dicaſterii Præſidis dignitatem obivit, & poſtquam anno 1608. paci inter *Hiſpaniarum Regem* & Confœderatas Belgii provincias conſtituendæ Principum Germanorum nomine interfuit, & anno 1611. Pragam ad Imperatorem a JOANNE, *Adminiſtr. Palat.* ablegatus, ipſi confirmationem Adminiſtrationis Palatinatus impetravit, vix anno 1612. die 12. Februarii naturæ debitum perſolvit. *Adi* PAUL. FREHERUM *l.c. p.* 990.

etii lautissimis conditionibus, patriæ commodis unice sese consecravit. Quanto autem hæc majorem calamitatem & jacturam ex eo erat perpessa, quod brevissimo temporis spatio duobus viris, quorum humeris universæ Reipublicæ onus hactenus securissime incubuerat, REINHARDO nempe SCHEFFERO z) & JOANNE CLOTZIO *Serenissimorum*

z) Fastis inscribendum nomen, quo Hassia in æternum superbit. Si enim Angli Thomam Morum, Galli Michaëlem Hospitalium suos celebrant Cancellarios, majori adhuc jure patria nostra gloriari poterit, quod unius ejusdemque nominis tertium hoc tempore videt, ut avitæ virtutis, sic excelsæ etiam hujus dignitatis felicissimum hæredem, cui, ut Deus O. M. Nestoris annos largiatur, enixis precibus rogamus. Animus interim non est REINHARDI SCHEFFERI, viri ingenio, doctrina, pietate, judicio & consiliis præstantissimi, merita, quibus rem politicam & ecclesiasticam egregie stabilivit, longo ordine

rum Hassiæ Principum Cancellariis, es-
set

dine hic percensere, cum hanc sparram jam occupaverit JOANNES FERINARIUS *in oratione funebri* Marburgi anno 1587. excusa, & nos Deo vires largiente, singulari opusculo olim hoc simus præstituri. Ut autem vel ex uno argumento intelligas, qualis quantusque ab omnibus fuerit habitus, apponam verba literarum Pro principis, Vice-Cancellarii, cæterorumque tunc temporis Consiliariorum Cassellanorum ad Rectorem & Facultatis artium Decanum, quæ in scriniis Academiæ Marburgensis asservantur MSS. & ita sonant: *Cum itaque Deus optimus Maximus superioribus diebus* Reinhardum Schefferum, *Hassiæ Cancellarium, virum pietate eximium, juris scientia excellentem, & rerum multarum experientia præstantem ex hac vita die X. Maji hujus anni* (1587.) *avocaverit, dignissimus certe ille est, qui honore orationis publicæ, eoque quasi extremo ab Academia vestra afficiatur. Quam multa vero, quam egregia, & quam præclara atque fidelia ipsius erga Illustrissimos*

ſet orbata *a)*: tanto ardentiori ſtudio ſapientiſſimus ſeculi ſui, Princeps WILHELMUS IV. aliquoties tentavit, ut VULTEJUS in aulam accitus ruentem in pejus molem novo eoque Atlantæo robore ſuffulciret. Et quamvis tanti honoris faſtigium alii omnes ambabus ulnis amplexi eſſent, imo pretio ac precibus, prout fieri nonnunquam conſuevit, redemiſſent, nullis tamen rationum momentis adduci unquam potuit, ut

ſimos Haſſiæ Principes, Dominos noſtros clementiſſimos, erga eccleſiam, erga Rempublicam, erga ſcholas & literas, & denique erga univerſam patriam exstiterint, & adhuc hodie extent, atque appareant officia & merita, novimus nos, qui aliquot annos cum illo viximus, noſtis vos ipſi, norunt multi alii viri præclari & Conſiliarii, qui paſſim in aulis Electorum & Principum Imperii verſantur - - Data Caſſellis die 20. Maji anni 1587.

a) Qui deceſſit *die V. Auguſti* 1588. ceu teſtatur REGNERUS SIXTINUS *in oratione funebri* Marburgi 1589. edita.

ut Academicam quietem inconstanti Aulicorum fortunæ anteponeret *b*).

Sensit abunde Marburgensis Academia tenerrimum hunc, quo eam complectebatur, amorem, cum de novo velut ipsi tandem redditus, quibuscunque rationibus ipsius commodis atque splendori invigilavit. Alliciebat tanti viri fama ex omnibus terrarum partibus Musarum filios,

b) Innuit hoc HERMANNUS KIRCHNERUS *de officio & dignitate Cancellarii Libr. IV. c. 4. p. 267.* quando ait: *ex quorum numero Cl. JCtus* SIMON PISTORIUS *fuit, qui in professoria functione malebat perseverare, & e sugestu publico civilia jura docere, quam potentissimæ Saxoniæ Cancellarius audire. Qua quidem sententia complures alii fuisse leguntur, neque nomina longe petenda essent, cum vel ex ANTECESSORIBUS SUIS* (intelligit HERM. VULTEJUM coæva manus exemplari meo adscripserat) *Academia nostra ejus rei exempla proferre posset.*

lios, quorum deſideriis ſatisfacturus concatenatis laboribus tantum non obruebatur. Quamvis autem ab eo tempore ſe totum Muſis devovendum ſtatuiſſet, publica tamen quædam negotia ſupervenerunt, quæ eum aliquantisper ab Academia rurſus avocarunt. Ex mandato enim Sereniſſimi Principis ſui anno MDLXXXIX. *c*) ad WILHELMUM Juniorem, *Brunſuicenſem & Luneburgenſem Ducem* legatus *Brunſvigam* mittebatur, ut ferventem *inter Oldenburgicos Comites & Bremenſes* de navigatione in Viſurgi controverſiam, quequam innumeræ ſubditorum vele, cædes, atque ſpolia comitabantur,

c) Elucet hoc ex ipſius VULTEJI verbis, quibus utitur in *oratione funebri LUDOVICO SENIORI dicta* p. 107. *Tanti vero*, inquit, *Ludovicum Principem fecit politicorum ſui temporis* Πολιτικώτατος, *vir Excellentiſſimus D. ANDREAS PAULI, Electoris Saxoniæ Conſiliarius, in Chriſto nunc piè defunctus, ut* uno anno ante mortem

bantur, sua prudentia sapientissimisque consiliis Cæsaris nomine sedaret atque transigeret *d*). Reperit ibi-

tem suam * *Brunsvigæ, ubi tunc eramus una fateretur, se hoc quidem agere, ut aula relicta posthac privatus degeret, veruntamen si omnino ipsi in ulla Principis aula vivendum esset, non scire se Principem ullum, cui officia sua mallet approbata, quam Ludovico Principi, cujus viri judicium tanto majoris faciendum esse arbitror, quod ea ætate in Germania vix esse ullus alius, qui & plures aulas non in Germania tantum, sed in Gallia etiam, in Italia, in Anglia, in Polonia vidisset, & de aulis Principibusque rectius judicare posset.*

* Anno nimirum MDLXXXIX. Insequente enim anno CHRISTIANUM I. *Saxoniæ Electorem* Cassellas proficiscentem comitatus est, ibidemque cœpit decumbere, & *die IV. Maji* extinctus in templo parochiali sepultus est. Adi PAULUM FREHERUM *l. c. p.* 918.

d) WILHELMI DILLICHII Heßische Chronick *Part. II. p.* 337. HIERON. TREUTLERI *de obitu Wilhelmi IV. p.* 61.

n non sine gaudio politico-
lius seculi principem, AN-
DREAM PAULI, *Saxoniæ Electoris Consiliarium*, ex cujus viri amicitia & consuetudine tanto majorem cepit voluptatem, quod vix ullus alius ea ætate esset, qui plures legationes ad universos Europæi orbis Proceres obiisset, atque de eorum aulis, ministris, commerciis rebusque omnibus rectius meliusque posset judicare.

Negotiis interim felicem exitum nactis, domi redeuntem dignissima tantis laboribus præmia exceperunt. Cum enim REGNERUS SIXTINUS *primariam Juris professionem* resignaret, & impetrata venia *die X. Maji* anni MDXCI. Senatui Academico solemne vale diceret, ad hanc spartam exornandam *die XII. ejusdem mensis* a Serenissimis Academiæ Nutritoribus, GUILIELMO & LUDOVICO rite designatus est VULTEJUS noster, in interpre-

tandis

tandis juris principiis successorem nactus PHILIPPUM MATTHÆUM, *Rhetorices Professorem, Academiæque tunc temporis Rectorem e*). Quanto autem gravius novo hoc dignitatis fastigio humeris suis impositum onus sentiebat; tanto majori studio & alacritate eo incubuit, ne ullo modo illi succumberet, sed, quidquid suarum partium esse sciret, summa cum fide ac industria procuraret. Vix enim DANIEL ARCULARIUS, *SS. Theologiæ Professor*, frena Academiæ capessiverat, cum *die XV. Julii* quatuor Juris Candidatos solemni ritu Doctores renunciavit, crebrisque his promotionum solemnitatibus Marburgensis Academiæ famam haud parum adauxit.

Agnoverunt providam hanc VULTEJI curam devoto pectore Patres Academici, qui impensam

e) *Annales Academiæ Marburgensis MSS.* ad h. a.

voluntatem gratitudinemque suam testaturi insequente anno MDXCII. ipsi, quamvis mandato clementissimi sui Principis peregre abesset, *Rectorales fasces* concordibus suffragiis obtulerunt *f*). Magna cum auctoritate & laboriosa fidelitate regimini præfuit, quod vel ex eo capite fuit felicissimum, dum hoc tempore nomina in albo Academiæ cives novi CLXXXXIX. dederunt. Verum excepit hoc gaudium tristissima malorum catastrophe, quæ gravissimum vulnus non Academiæ tantum, sed patriæ, imo universæ Germaniæ inflixit. Eripuit enim infausta XXV. *Augusti dies* absolutissimi Principis exemplar, WILHELMUM IV. *Hassiæ Landgravium*, cujus obitum eo acerbioribus lachrimis deploravit patria, quo prudentioribus consiliis fortiorique manu exulcerato, quo vixit tempo-

re

f) *Annales Academiæ Marburgensis MSS.*

re imminentes quascunque calamitates feliciſſime ab ea averterat. Academia Marburgenſis indulgentiſſimo patre orbata VULTEJUM ſolemnem doloris ſui interpretem *Caſſellas* ablegavit, ut una cum HERMANNO LERSNERO, *Procancellario g)*, exuvias conſueto more Majorum tumulo inferendas comitaretur, & ultimum quaſi ſubjectiſſimæ devotionis officium tanto Heroi ipſius nomine præſtaret.

Qui hæreditatis jure ſuccedebat MAURITIUS, ut erat Princeps in omni ſcientiarum genere verſatiſſimus, ita nihil eorum intermiſit, quæ ad conſervandum augendumque ſcholæ Marburgenſis ſplendorem ullo modo pertinere poſſe videbantur. Sub ipſis ſuſcepti regiminis primordiis anno nimirum MDCXIII. per literas *die X. Aprilis* exaratas *h)* ad

 præ-

g) *Annales Academiæ Marburgenſis MSS.*
h) *Annales Academiæ Marburg. MSS.*

præſtandum fidelitatis juramentum Profeſſores admonuit, qui *die XXIII. ejusdem* ante meridiem in Conſiſtorio congregati exigentibus illud Principis nomine EUTELIO a BERLIPSCH, *caſtri Zigenhainenſis Capitaneo*, JOANNI ANTRECTO, *Cancellario* atque JOANNI HEUGELIO, *Secretario*, ſolemniter præſtiterunt *i*). Vix autem hæc erant peracta, cum benigniſſimæ ſuæ in Academiam voluntatis illuſtre edidit documentum. Deſponſaverat ſibi fauſto ſidere AGNETEM, filiam JOANNIS GEORGII *Comitis Solmenſis*, *k*) & ad ſacra nuptialia *Caſſellis die XXIII. Septembris* celebranda Academiam per literas invitavit. Comparuit illa per HERMANNUM WOLFIUM, *Medicinæ Profeſſorem*, Magiſtratum ea ætate tenentem, & VULTEJUM noſtrum, qui ad teſtificandam ſub-

i) *Annales Acad. Marburg. MSS.*

k) WILHELMI DILICHII Heßiſche Chronick *Part. II. p. 341.*

ſubjectiſſimam Academiæ devotionem nuptiale munus finitis feſtivitatibus eo, quo decebat, obſequio obtulerunt *l*). Multis argumentis clementiſſimam ſuam propenſionem MAURITIUS comprobavit, & licet ſæpiſſime eveniat, ut ii, qui apud Anteceſſores maximæ auctoritatis fuerunt, in Succeſſorum curia ex ſupremo dignitatis faſtigio præcipitati debiliores fiant & inhonoratiores *m*):

F 3 ſin-

l) *Annales Academ. Marburg. MSS.*

m) Ut recte ſentiat ÆNEAS SYLVIUS *epiſtola LXVI.* ad Joannem Eichium JCtum & Cancellarium ſcribens: *Non omnibus tantum arridet fortuna, quantum Cancellario noſtri Cæſaris*, CASPARI SLICKIO, *quem vel miranda fati clementia, quæ in pauciſſimis hominibus reperitur, apud tres Cæſares inter primores potentem reddidit. Alios vero vix unquam vidimus in curia ſucceſſoris tales eſſe, quales apud anteceſſores fuerant. Sed præcipitari complurimos ex gradu cernimus, ita, ut quanto prius honoratiores & potentiores cenſebantur, tanto ex-*

singulari tamen quadam fati clementia eandem VULTEJUS fortunam ac gratiam a MAURITIO expertus est, qua olim WILHELMUS IV. ipsum beaverat.

Quamvis autem hac Principum suorum clementia vix aliter quam in deprecandis aliorum periculis uteretur, multorum tamen odia atque invidiam ex eo tempore Vultejus subiit. Inter hos ex collegis fuit NICOLAUS VIGELIUS, patria *Treysensis*, *n*) qui turgidum livore animum publice proditurus in nundinis Francofurtensibus hujus anni autumnalibus libellum sub rubro *Examinis Jure-Consultorum* *o*) evulgavit

exinde debiliores & inhonoratiores fiant, & inimicis gaudio, propinquis & amicis dolori, molestia atque dedecori,

n) Vitam ejus exhibet PAULUS FREHERUS, *in theatr. vir. illustr. Part.* II, *p.* 952.

o) Scriptum hoc quanta etiam quæsivimus

gavit, in quo supremam Hassiæ curiam, ministerium urbis Marburgensis ecclesiasticum & inprimis HERMANNUM VULTEJUM quibuscunque conviciorum ac calumniarum generibus acerrime insectatus est. Tulit illatam hanc injuriam æquo animo, & amarulentum hoc scriptum responsione ulla tanto judicavit indignius, quanto majori fastidio eos abomniaretur, qui, dum eruditorum nomen mentiuntur, jurgiis rixisque lixarum & calonum more invicem sese lacessunt *p*). Verum cum quotidianæ hanc

mus industria inspicere nobis non licuit, unde quoscunque bonarum artium fautores publice hic rogamus, ut ejus communicatione sitim nostram velint restinguere.

p) Neque melius rectiusque agere potuisset Vultejus, quam quod ne verbum quidem invectivis hujus viri opposuit. Hujus enim furfuris libelli vix alio usui sunt, quam ut posteris effrenatos animi nostri affectus prodant, & demen-

lios, quorum desideriis satisfacturus concatenatis laboribus tantum non obruebatur. Quamvis autem ab eo tempore se totum Musis devovendum statuisset, publica tamen quædam negotia supervenerunt, quæ eum aliquantisper ab Academia rursus avocarunt. Ex mandato enim Serenissimi Principis sui anno MDLXXXIX. c) ad WILHELMUM Juniorem, *Brunsuicensem & Luneburgensem Ducem* legatus *Brunsvigam* mittebatur, ut ferventem *inter Oldenburgicos Comites & Bremenses* de navigatione in Visurgi controversiam, quequam innumeræ subditorum vele, cædes, atque spolia comitabantur,

c) Elucet hoc ex ipsius VULTEJI verbis, quibus utitur in *oratione funebri LUDOVICO SENIORI dicta* p. 107. *Tanti vero*, inquit, *Ludovicum Principem fecit politicorum sui temporis* Πολιτικώτατος, *vir Excellentissimus D. ANDREAS PAULI, Electoris Saxoniæ Consiliarius, in Christo nunc pie defunctus, ut* uno anno ante mortem

bantur, sua prudentia sapientissimisque consiliis Cæsaris nomine sedaret atque transigeret *d*). Reperit ibi-

tem suam * *Brunsvigæ, ubi tunc eramus una fateretur, se hoc quidem agere, ut aula relicta posthac privatus degeret, veruntamen si omnino ipsi in ulla Principis aula vivendum esset, non scire se Principem ullum, cui officia sua mallet approbata, quam Ludovico Principi, cujus viri judicium tanto majoris faciendum esse arbitror, quod ea ætate in Germania vix esse ullus alius, qui & plures aulas non in Germania tantum, sed in Gallia etiam, in Italia, in Anglia, in Polonia vidisset, & de aulis Principibusque rectius judicare posset.*

* Anno nimirum MDLXXXIX. Insequente enim anno CHRISTIANUM I. *Saxoniæ Electorem* Cassellas proficiscentem comitatus est, ibidemque cœpit decumbere, & *die IV. Maji* extinctus in templo parochiali sepultus est. Adi PAULUM FREHERUM *l. c. p.* 918.

d) WILHELMI DILLICHII Heßische Chronick *Part. II. p.* 337. HIERON. TREUTLERI *de obitu Wilhelmi IV. p.* 61.

ibidem non ſine gaudio politicorum illius ſeculi principem, ANDREAM PAULI, *Saxoniæ Electoris Conſiliarium*, ex cujus viri amicitia & conſuetudine tanto majorem cepit voluptatem, quod vix ullus alius ea ætate eſſet, qui plures legationes ad univerſos Europæi orbis Proceres obiiſſet, atque de eorum aulis, miniſtris, commerciis rebusque omnibus rectius meliusque poſſet judicare.

Negotiis interim felicem exitum nactis, domi redeuntem digniſſima tantis laboribus præmia exceperunt. Cum enim REGNERUS SIXTINUS *primariam Juris profeſſionem* reſignaret, & impetrata venia *die X. Maji* anni MDXCI. Senatui Academico ſolemne vale diceret, ad hanc ſpartam exornandam *die XII. ejusdem menſis* a Sereniſſimis Academiæ Nutritoribus, GUILIELMO & LUDOVICO rite deſignatus eſt VULTEJUS noſter, in interpretandis

tandis juris principiis successorem nactus PHILIPPUM MATTHÆUM, *Rhetorices Professorem, Academiaque tunc temporis Rectorem e*). Quanto autem gravius novo hoc dignitatis fastigio humeris suis impositum onus sentiebat; tanto majori studio & alacritate eo incubuit, ne ullo modo illi succumberet, sed, quidquid suarum partium esse sciret, summa cum fide ac industria procuraret. Vix enim DANIEL ARCULARIUS, *SS. Theologiæ Professor*, frena Academiæ capessiverat, cum *die XV. Julii* quatuor Juris Candidatos solemni ritu Doctores renunciavit, crebrisque his promotionum solemnitatibus Marburgensis Academiæ famam haud parum adauxit.

Agnoverunt providam hanc VULTEJI curam devoto pectore Patres Academici, qui impensam

e) *Annales Academiæ Marburgensis MSS.* ad h. a.

voluntatem gratitudinemque suam testaturi insequente anno MDXCII. ipsi, quamvis mandato clementissimi sui Principis peregre abesset, *Rectorales fasces* concordibus suffragiis obtulerunt *f*). Magna cum auctoritate & laboriosa fidelitate regimini præfuit, quod vel ex eo capite fuit felicissimum, dum hoc tempore nomina in albo Academiæ cives novi CLXXXXIX. dederunt. Verum excepit hoc gaudium tristissima malorum catastrophe, quæ gravissimum vulnus non Academiæ tantum, sed patriæ, imo universæ Germaniæ inflixit. Eripuit enim infausta XXV. *Augusti dies* absolutissimi Principis exemplar, WILHELMUM IV. *Hassiæ Landgravium*, cujus obitum eo acerbioribus lachrimis deploravit patria, quo prudentioribus consiliis fortiorique manu exulcerato, quo vixit tempore

f) *Annales Academiæ Marburgensis MSS.*

re imminentes quascunque calamitates feliciſſime ab ea averterat. Academia Marburgenſis indulgentiſſimo patre orbata VULTEJUM ſolemnem doloris ſui interpretem *Caſſellas* ablegavit, ut una cum HERMANNO LERSNERO, *Procancellario g)*, exuvias conſueto more Majorum tumulo inferendas comitaretur, & ultimum quaſi ſubjectiſſimæ devotionis officium tanto Heroi ipſius nomine præſtaret.

Qui hæreditatis jure ſuccedebat MAURITIUS, ut erat Princeps in omni ſcientiarum genere verſatiſſimus, ita nihil eorum intermiſit, quæ ad conſervandum augendumque ſcholæ Marburgenſis ſplendorem ullo modo pertinere poſſe videbantur. Sub ipſis ſuſcepti regiminis primordiis anno nimirum MDXCIII. per literas *die X. Aprilis* exaratas *h)* ad

g) *Annales Academiæ Marburgenſis MSS.*
h) *Annales Academiæ Marburg. MSS.*

præstandum fidelitatis juramentum Professores admonuit, qui *die XXIII. ejusdem* ante meridiem in Consistorio congregati exigentibus illud Principis nomine EUTELIO a BERLIPSCH, *castri Zigenhainensis Capitaneo*, JOANNI ANTRECTO, *Cancellario* atque JOANNI HEUGELIO, *Secretario*, solemniter præstiterunt *i*). Vix autem hæc erant peracta, cum benignissimæ suæ in Academiam voluntatis illustre edidit documentum. Desponsaverat sibi fausto sidere AGNETEM, filiam JOANNIS GEORGII *Comitis Solmensis*, *k*) & ad sacra nuptialia *Cassellis die XXIII. Septembris* celebranda Academiam per literas invitavit. Comparuit illa per HERMANNUM WOLFFIUM, *Medicinæ Professorem*, Magistratum ea ætate tenentem, & VULTEJUM nostrum, qui ad testificandam sub-

i) *Annales Acad. Marburg. MSS.*

k) WILHELMI DILICHII Hessische Chronick *Part. II. p.* 341.

ſubjectiſſimam Academiæ devotionem nuptiale munus finitis feſtivitatibus eo, quo decebat, obſequio obtulerunt *l*). Multis argumentis clementiſſimam ſuam propenſionem MAURITIUS comprobavit, & licet ſæpiſſime eveniat, ut ii, qui apud Anteceſſores maximæ auctoritatis fuerunt, in Succeſſorum curia ex ſupremo dignitatis faſtigio præcipitati debiliores fiant & inhonoratiores *m*):

 ſin-

l) *Annales Academ. Marburg. MSS.*

m) Ut recte ſentiat ÆNEAS SYLVIUS *epiſtolâ LXVI.* ad Joannem Eichium JCtum & Cancellarium ſcribens: *Non omnibus tantum arridet fortuna, quantum Cancellario noſtri Cæſaris,* CASPARI SLICKIO, *quem vel miranda fati clementia, quæ in pauciſſimis hominibus reperitur, apud tres Cæſares inter primores potentem reddidit. Alios vero vix unquam vidimus in curia ſucceſſoris tales eſſe, quales apud anteceſſores fuerant. Sed præcipitari compluriimos ex gradu cernimus, ita, ut quanto prius honoratiores & potentiores cenſebantur, tanto* ex-

ſingulari tamen quadam fati clementia eandem VULTEJUS fortunam ac gratiam a MAURITIO expertus eſt, qua olim WILHELMUS IV. ipſum beaverat.

Quamvis autem hac Principum ſuorum clementia vix aliter quam in deprecandis aliorum periculis uteretur, multorum tamen odia atque invidiam ex eo tempore Vultejus ſubiit. Inter hos ex collegis fuit NICOLAUS VIGELIUS, patria *Treyſenſis*, n) qui turgidum livore animum publice proditurus in nundinis Francofurtenſibus hujus anni autumnalibus libellum, ſub rubro *Examinis Jure-Conſultorum* o) evulgavit

exinde debiliores & inhonoratiores fiant, & inimicis gaudio, propinquis & amicis dolori, moleſtia atque dedecori.

n) Vitam ejus exhibet PAULUS FREHERUS, *in theatr. vir. illuſtr. Part.* II, *p.* 952.

o) Scriptum hoc quanta etiam quæſivimus

gavit, in quo ſupremam Haſſiæ curiam, miniſterium urbis Marburgenſis eccleſiaſticum & inprimis HERMANNUM VULTEJUM quibuscunque conviciorum ac calumniarum generibus acerrime inſectatus eſt. Tulit illatam hanc injuriam æquo animo, & amarulentum hoc ſcriptum reſponſione ulla tanto judicavit indignius, quanto majori faſtidio eos abomniaretur, qui; dum eruditorum nomen mentiuntur, jurgiis rixisque lixarum & calonum more invicem ſeſe laceſſunt *p*). Verum cum quotidianæ hanc

mus induſtria inſpicere nobis non licuit, unde quoscunque bonarum artium fautores publice hic rogamus, ut ejus communicatione ſitim noſtram velint reſtinguere.

p) Neque melius rectiusque agere potuiſſet Vultejus, quam quod ne verbum quidem invectivis hujus viri oppoſuit. Hujus enim furfuris libelli vix alio uſui ſunt, quam ut poſteris effrenatos animi noſtri affectus prodant, & demen-

ob causam querelæ ad Serenissimos Principes Academiamque Marburgensem deferrentur, res eo tandem cecidit, ut anno insequente MDXCIV. *die VII. Aprilis* coram strenuis ac nobilibus viris, JOANNE a DALWIG in *Dilch*, *supremæ Hassiæ curiæ Præside*, BURCHARDO a CRAM, *Proprincipe ac Lanum*, ac SIGEFRIDO CLO-

mentiam nostram deridendi ansam præbeant. Utinam eruditi omnes PETRUM PUTEANUM hac in re imitarentur, de quo NICOLAUS RIGALTIUS *in vita ejus* sequentia annotavit. *Oderat hic rixas & jurgia præsertimque inter eruditos, ac turpe esse dicebat, viros indubitate doctos famam vicissim suam rodere ac lacerare scriptis trucibus, tanquam vilissimos in plebe cerdones in angiportis sese luto ac stercore conspurcantes. Aiebat rem omnium esse pessimam hominis improbi litteraturam. Sententia bonis semel rationibus stabilita, si quis factiosa contumacia contradiceret, prudentis esse non altercari, sed posteritatis arbitrio rem integram permittere.*

CLOTZIO *Cancellario*, quibus hoc negotium MAURITIUS ac LUDOVICUS commiserant, Vigelius in Dicasterio Principis præsentibus Rectore & omnium facultatum Professoribus culpam deprecaretur; eandemque sibi nominatim etiam a Vultejo ignosci peteret. Imposuerunt deinde Vigelio Principis utriusque nomine, ut post hac ab ejusmodi insectationibus abstineret, nec ullum scriptum in publicum emitteret, nisi prius a Juridicæ Facultatis Professoribus licentiam obtinuisset; quod consilium tanto lubentius cuncti approbarunt, cum ante annos quindecim ipsi ab Academia idem jam fuerit injunctum. Datis ad Francofurtensem vero & Basileensem Senatum literis, ut scriptum hoc Vigelianum confiscaretur, rogarunt, qui uterque non tantum huic petitioni libenter annuit, sed Basileensi etiam typographo, qui illud excuderat, pœnam insuper imposuit. Hoc facto VIGELIUS concesso interim

annuo ſtipendio a profeſſoria dignitate remotus eſt, & JOANNEM GOEDDÆUM ſucceſſorem nactus poſt ſex annorum decurſum podagricis doloribus maceratus naturæ demum ſatisfecit.

Gliſcens tamen hæc in cineribus favilla malevolorum quorundam conſiliis agitata anno MDXCIV. in ignem rurſus erupit, novasque turbas in Academia procreavit. JOANNES enim NIELLIUS, Veſalienſis, *Juris Studioſus, ejusdemque poſtea Doctor & Profeſſor*, turbulenti & ambitioſi ingenii homo *q*), Vigeliana hac controverſia abuſus, ſcriptis

q) Phyrgopolinices iſtiusmodi & turgidos ſui ipſorum exiſtimatores thraſones invenire ſemper licuit. Nullum enim in hiſtoria literaria ſeculum percurrere animo poſſumus, quin & Maſtyges iſtiusmodi reperiamus, qui celebratiſſimorum in rep. literaria virorum famam inſectando ſibi nominis celebritatem comparare ſunt annisi; quod ipſum

ptis, & literis etiam ad Serenissi-
mos

ipsum ut nemini non turpe videri debet, ita illud omnium est probrosissimum, si quis sola inclarescendi cupiditate ductus, ea insectetur & vituperet, quæ neque attentus ipse legit, neque ob ingenii tenuitatem suis valet æstimare ponderibus; aut si ea nunc culpet & accuset, quæ ipse olim plenis buccis buccinisque decantavit. Verum hic est, quod scripsit ANCILLONIUS *dans sa melange critique de literature T.* II. *p.*38. *Il s'est trouvé même de gens, qui ont écrit contre Calvin, sans le connoitre, & sans avoir lû ses ecris, par passion contre lui, ou par vanité, pour avoir l' honneur d' étre adversaire d' un homme aussi grand & aussi considerable que Calvin.* Testes hujus rei non eruditi solum nostri sunt temporis, sed & ii, quorum memoriam magna cum veneratione eruditorum cœtus adhucdum suspicit. Certe ut primum Cartesius & Puffendorfius nominis famam scriptis doctissimis compararunt, quisquis e Magistrorum grege se in Parnasso somniasse sibi videbatur, arma rapere, classicum canere, & edita strage imagina-
ria

ria errantium equitum ordini sese inserere moliebatur, idque ut aut eruditorum albo aureis nomen suum literis inscriptum seque digitis monstratum sibi posset gratulari, aut ut molestam sibi famam, quam viri nomine illustres depellere vel non poterant, vel merito nolebant, hoc scribendi & alios insectandi genere sane misero a se profligaret. Qua in re ut laudare satis Vultejum nostrum non possumus, ita omnes merito deprædicandos & imitandos existimamus, qui tristes illas istiusmodi scriptorum næ-nias generoso spernunt oculo, certi non plus sibi labis ab istiusmodi nugarum consarcinatore inferendum, quam luna ab importuno canum latratu splendoris amittat. Vera nimirum manet DANIELIS GEORGII MORHOFII sententia, qui *Polyhist. literar. T. I. Libr. I. cap. 15. §. 13. strepitus quidem moverunt*, inquit, *sed perennes famæ plausus non referunt, quemadmodum cometæ oculos quidem omnium in se convertunt, sed post aliquot dies vel menses corporum suorum lumen absumunt.*

omnes, inprimis Juridicæ Facultatis, propria confessione de se optime meritos, atrocissimas calumnias evomuit, totique propemodum Academiæ malitiose insultavit. Sed nec hæc res speratum finem consecuta est, dum de mendaciis atque calumniis paulo post convictus Niellius malitiæ veniam a Professoribus publice rogare, & impositam unanimi consensu relegationem octiduana carceris pœna redimere fuit coactus r).

Hac demum ratione pristina quiete Academiæ reddita VULTEJUS doctissimis viris, ANTONIO MATTHÆO, *Marburgensi*, JOANNI RHEM, *Francofurtensi*, JACOBO ULRICI, *Brunsuicensi*, BERNHARDO GREVEN, & THEODORO PETREO, *Westphalis*, atque ROLANDO *de* WEERT, *Antverpiano*

r) Totius hujus controversiæ historiam ex *Annalibus Academiæ Marburgensis* MSS. hausimus.

piano insignia doctoralia *ultima Februarii* legitime contulit *s*). Vergente autem ad finem anno, patria novo metu perculsa est, cum fatis functo JOANNE a BORCHOLTEN, *Dux Brunsvicensis* & *Luneburgensis* Vultejum ad obeundam *Consiliarii* ac *Professoris* spartam *Helmstadium* desideravit *t*).

Verum perstitit immotus in servitio suorum Principum, oblatas quascunque conditiones amori patriæ postponendas ratus, & Marburgensis Academiæ, sibi dilectissimæ, commoda indefessus promovit. Si enim quæcunque alia deessent argumenta, vel ex crebris promotionum solemnitatibus abunde licet judicare, quanto cum ardore ac diligentia suam operam ipsi addixerit. Sic anno MDXCV. *die XIV. Augusti*

s) *Annales Academiæ Marburgensis MSS.*

t) PAULUS FREHERUS *in theatr. viror. illustr. p.* 1068.

gusti Rectore JOANNE WINCKELMANNO, *SS. Theologiæ Doctore & Professore*, LUDOVICUM GILHUSIUM, *Marburgensem*, anno MDXCVI. *die XII. Septembris* HENR. LERSNERUM, *Marburgensem*, GOSVINUM MERCKELBACH & JOANNEM SPRENGERUM, *Susatenses*, DAVIDEM SCHMALCALDERUM *Marburg.* & ADOLPHUM MOLLERUM, *Hachenburgensem*, an. MDXCVII. *die XII. Aprilis*, PHILIPPUM GERLACUM, *Marburgensem*, atque anno demum MDXCIX. *die XII. Julii*, BARTHOLOMÆUM ZEPPERUM, Herbornensem, *Juris* postea *in Erfurtensi Academia Professorem*, cum HERMANNO KIRCHNERO, *almæ itidem Marburgensis Professore*, in frequenti omnium Academiæ Ordinum consessu *Juris utriusque Doctores* solemniter renunciavit *u*).

Etiamsi autem assiduis his labori-
bus

u) *Annales Academ. Marburg. MSS.*

bus ita obrueretur, ut ad reficendas corporis etiam vires vix tempus suppeteret, unanimi tamen consensu ab Academiæ Patribus anno MDCI. *Rector* secunda vice fuit electus, quod quidem ita feliciter cessit, ut inter reliqua, quibus sub ejus magistratu Academia exornatam se sensit emolumenta, CCXLIII. novi cives in eam reciperentur x).

Insequente anno MDCII. Academia novo argumento testata est, quanto amore ac veneratione VULTEJUM prosequeretur. Cum enim PHILIPPUS JULIUS, *Pomeraniæ Dux*, hospes tunc temporis LUDOVICI *Senioris*, solemni nobilissimorum virorum comitatu stipatus, *die XV. Junii* ad Academiæ collegia descenderet, præ reliquis omnibus VULTEJO honorem detulit, ut eum Senatus Academici nomine solenniter exciperet. Gravi ac disertâ oratione advenientem Principem ad-

x) *Annales Academ. Marburg. MSS.*

adſtantibus cum Rectore Profeſſoribus omnibus ſalutavit, qui ad conſiſtorii locum deductus, ibique vino ac epulis donatus ut clementiam ſuam cunctis Profeſſoribus declaravit, ita Vulteji inprimis ſapientiam dicendique copiam dignis laudibus extulit *y*).

Sub rectoratu BALTHASARIS MENTZERI, qui in annum MDCIV. incidit, doctorales honores tribus Juris candidatis *die XV. Martii* VULTEJUS ultima vice promotor contulit *z*), verum paulo poſt acerbiſſimo dolore tantum non exanimatus eſt. Filium enim natu maximum JOANNEM exoptatiſſimæ ſpei & eximiæ jam tum doctrinæ adoleſcentem in ipſo juventutis flore, cum nondum vigeſimum ſecundum ætatis annum compleviſſet, *die VIII. Julii* fata eripuerunt, cujus mortem tam ægre tulit, ut luctus

G ejus

y) *Annales Academiæ Marburgenſis MSS.*
z) *Annales Academiæ Marburg. MSS.*

ejus vix ullo solatio levari potuerit *a*). Nec hanc occasionem prætermisit

a) Testatur hoc inter alia elegantissimum carmen, quod cum gravissimum dolorem & divitem Vulteji in arte poetica venam abunde loquatur, hic legere non pœnitebit.

Si mihi res esset Crassæis æmula nummis,
Ingentes Crœsi sique darentur opes.
Non equidem tanti nummorum summa facultas,
Illa mihi, quanti, tu mihi, nate, foret.
Si mihi pareret, quod vivit in orbe vigetque,
Pro te quidquid id est, omne ego, nate, darem.
Nate meum robur primum, & mea magna voluptas,
Quondam qui fueras unica cura mihi.
Nate mea si morte tibi tua vita stetisset,
Morte mea staret jam tua vita tibi.
Atque utinam salvo te fili nostra petisset
Corpora mors, mortis molle fuisset iter.
Nullius in proprium, fas sit mihi dicere natum
Tam flagravit amor, tantaque cura fuit.
Attamen est aliquid, quod te mihi carius ipso est.
Id quid sit noli quærere. Numen id est.

Huic

termisit Academia, quin propensissimam suam voluntatem Vultejo commonstravit, & HERMANNO KIRCHNERO, *oratori*, demandavit, ut *publica oratione* præstantissimi juvenis dotes digno elogio decoraret, ac afflictissimum parentem ipsius nomine consolaretur *b*).

Privatam hanc calamitatem excepit publica, quæ variis deinde motibus ansam præbuit. Decessit enim ex hac vita *die IX. Octobris c*) LUDOVI-

Huic te concessi, quem tam vehementer amabam,
Huic te restitui, te dedit ille mihi.
Flagitet hoc, animam tenues efflabo per auras,
Hujus ad imperium non ego segnis ero.
Hujus & observat mea mens mandata, tremitque
Sic tamen ut patrem sentiat esse suum.

b) Quæ seorsim *Marburgi* 1604. typis primum excusa postea inter HERM. KIRCHNERI *orationes* conjunctim editas prodiit.

c) WILHELMI DILICHII Heßische Chronick *Part. II. p.* 550. JOANNIS MYLII Heßischer Stamm-Baum p. 64.

DOVICUS Senior, *Hassiæ Landgravius*, senio, curis atque laboribus confectus, cujus lauta hæreditas ad MAURITIUM & LUDOVICUM, Ludovici ex fratribus Wilhelmo IV. & Georgio I. nepotes, devolvebatur. Cum superiori principatu accessit MAURITIO Marburgensis Academia: quam a pristina, totque recessibus confirmata Hassiacarum ecclesiarum doctrina sub Ludovici regimine descivisse agnoscebat. Ab eo enim tempore, quo ÆGIDIUS HUNNIUS a Tubingensibus commendatus, ac ne recepta, & in Academia Marburgensi inaugurandis doctoribus proponi solita juramenti formula obstringeretur, in Academia eadem, antequam cum familia Marburgi sedem figeret, Theologiæ Doctor promotus, ad eam accesserat, incognitum Hassis *ubiquitatis dogma* tam altas in complurium animis radices egerat, ut ipse LUDOVICUS, Princeps, causæ hujus patronum ageret, consiliis MARIÆ

Mans-

Mansfeldica, virilis spiritus feminæ, eo adductus. Pollebat apud eam summa auctoritate Hunnius, qui gratia hac abusus animum ejus, quocunque vellet, flectebat *d*). Et quamvis beatissimæ memoriæ Princeps,

d) Prodit totam hanc rem JUSTUS REUBERUS in epistola ad FRANCISCUM HOTTOMANNUM *die XI. Januarii* anno 1587. scripta, quæ inter *Hottomannianas* ex bibliotheca JANI GUILIELMI MEELII editas p. 191. reperitur. *Marburgi*, scribit, *locum habere non potes propter religionem. Dominatur enim in ea universitate* LUDOVICUS *Landgravius*, ubiquitarius summus, talis factus a dominante CONJUGE, quæ a HUNNIO Theologo, pessimo nebulone, regitur. *Neque obstat, quod ea universitas omnium fratrum sit communis. Nam* LUDOVICUS *præsens cum sit, multo plus potest, quam* WILHELMUS *absens; ut interim taceam Landgravium Wilhelmum multa indulgere Ludovico, ne ipsum offendat, & spe opima fraternæ hereditatis non excidat. Magnam enim pecuniam Ludovicus*

ceps WILHELMUS IV. suo jam tempore sapientissime perspexisset, quanta incommoda in patriam sint redundatura, si antiqua ecclesiarum superioris & inferioris Hassiæ concordia hac ratione turbaretur *e*), eoque

dovicus corrasit. Cui testimonio majorem merito fidem tribuimus, quam iis, quæ HELVICUS GARTHIUS in dem gründlichen Historischen Bericht von dem Religions Wesen im Fürstenthum Hessen *p.* 95. *seqq.* HENRICUS LEUCHTERUS in dem Bericht von dem alten und wahren Glauben der Hessen *ad an.* 1577. *& seqq.* & AUCTORES der ausführlichen *special* Widerlegung derer im Hessen-Casselischen *publicir*ten Wechselschrifften *p* 446.447. pro demonstranda Hunnii hac in re innocentia copiose attulerunt.

e) Providam hanc WILHELMI sollicitudinem abunde probant *literæ ad Hunnium*, indignatione plenissimæ, quas integritati suæ restitutas hic inserere

eoque LUDOVICUM fratrem re-

 degis-

rere non abs re visum fuit. Hochgelahrter Lieber Getreuer. Was ihr an Uns unter dem dato Marburg den 8ten dieses in Schrifften gelangen lassen / haben wir empfangen / gelesen und Inhalts verstanden: Nun vernehmen wir weiß GOtt / gantz ungerne / daß ihr mit dem hochgelahrten D. Christophoro Pezelio in dem unausforschlichen articul de cœna domini, darinnen man auch die quæstionem de omnipræsentia, und was dero paradoxa mehr seynd / mit den Haaren herbey zeucht / in diesen weitläufftigen Zanck und disputation gerathen / dadurch dann die Kirche Christi in gemein / sonderlich aber unsere Universität / Kirchen und Schulen / welche viele Jahre her bey Leben und Regierung Unseres freundlichen lieben Herren und Vaters seel. auch Unser selbst / in guter Christlicher Einigkeit / biß daß ihr leyder! zum Professore angenommen / erhalten worden / hefftig zertrennet und geärgert wird. Nun wißen wir diesen großen Ärgernüßen und Trennungen zuvor zu kommen / kei-

degisset, ut sub ipsis anni MDXCII. initiis

keinen besseren Weg; dann daß Wir nach dem Exempel Unsers Geliebten Herren und Vaters nicht gestatten oder zulassen / daß ein jeder Doctor oder Theologus seine somnia in öffentlichen Druck gebe / gegeneinander invectiva schreiben / und einer den andern zu reformiren und condemniren sich unterstehen dörffte / dann Uns aus langer Erfahrung unverborgen / daß dadurch nicht die Ehre GOttes oder Fortsetzung seines Heil. Evangelii gesucht / sondern daß die ehrgeitzige Passantes dadurch nichts anders suchen oder begehren / dann nur ihnen ein authoritát und Namen zu machen / und also wenig achten / daß durch solche ihre Schrifften die liebe Kirche jämmerlich dilaceriret / getrennet / geschändet und gelästert wird. Darum befehlen euch nochmahls bey den Eyden und Pflichten damit ihr Uns verwandt / gelobet und geschworen / daß ihr / wie das auch etliche mahl von Unserm freundlichem lieben Bruder Landgraff Ludwigen und Uns erstlich befohlen / euch der Zanck- und Läster-

inicіis architectum hujus discordiæ, HUN-

Läster-Schrifften gäntzlich enthaltet/ und Unsere Universität auch Kirchen und Schulen nicht damit besudelt und verunreiniget; dann ihr vorwahr weder des Alters/ erudition noch Verstands nicht seyd/ daß ihr diese so wichtige Sachen aus GOttes Wort wahr machen oder verthätigen köntet/ wie wohl aus eurem selbst Schreiben erscheinet/ daß ihr gantz unverschämt selbst vorgebet/ was ihr etwa geschrieben man anders verstehen solte/ als eure eigene Worte mitbringen/ welches wahrlich einem gemeinen Bürgermann/ zugeschweigen einem Doctor und Theologo der andere reformiren will/ übel anstehet. Wollet ihr aber je auff eurem Vorsatz bleiben/ und diesen Unsern Rath und Befehl bey euch nicht gelten lassen/ möget ihr wiederum ziehen/ da ihr herkommen/ wollen euch nicht verhindern/ sondern mit einem ziehmlichen viatico gern befördern: dann Uns nicht gelegen/ wissens auch gegen GOtt nicht zu verantworten/ daß Wir Unsere wohlbestellte Kirchen und Schulen/ von euch

euch oder jemandes anders in solche weitläufftige Gezänck ziehen / und Unsere liebe Jugend und Stipentiaten mit solchen somniis und grillomaticibus corrumpiren / und in den weitläuffigen Streit einziehen lassen solten. Welches Wir euch / damit ihr unsere Meynung wissen möget / und euch darnach zu richten / nicht wollen verhalten / versehen uns auch / ihr werdet bedencken / wie hoch und theuer ihr Uns verpflichtet / und euch darauff gehorsamlich erzeigen / auch zu keiner mehrer Weiterung und Uneinigkeit mit eurem unnützen Schreiben und Geplapper und abstrusissimis quæstionibus & paradoxis Ursach geben. Datum Zigenhain am 22. Augusti Anno 1591.

WILHELM,

Landgraff zu Hessen.

Dem Hochgelahrten Unser Universität Marburg Professori und lieben getreuen Egidio Hun, der Heil: Schrifft Doctori zu Marburg.

Con

removeret *f*): crescentibus tamen in dies turbis sufficiens medicina vix fuit adhibita. Hinc eo omnium primo MAURITIUS annitendum censuit, ut decretis recessuum synodalium, *Treysæ* & *Marburgi* superiori seculo *g*) celebratis, conformis in religione doctrina restitueretur, & ex harum synodorum decreto de persona Christi in concreto, non vero in abstracto, ut theologi loquuntur, doceretur. Tria in primis desideravit capita, *redintegrationem decalogi*, *abolitionem imaginum & ritum*

Confer, quæ hanc in rem *Analect. Hassiac. Collect. IV. p.* 462. *& seqq.* publicavimus.

f) Ceu probant *literæ* WILHELMI IV. ad *Ludovicum Seniorem*, quas *Vir Cl.* JO. TILEMANN dictus SCHENCK *in vitis Theolog. Marburg. p.* 151. publici juris fecit.

g) Anno nimirum MDLXXVII. & MDLXXVIII. Excerpta ex his recessibus vide **in dem Historischen Bericht der neulichen Marburgischen Kirchen-Händel** p. 6. & 8.

tum fractionis panis in sacra cœna, clementissimamque hanc suam voluntatem per RUDOLPHUM WILHELMUM a RAW, SIGEFRIDUM CLOTZIUM & CHRISTIANUM ANDREÆ, Consiliarios suos, accitis ad hunc finem in Dicasterium Theologis Marburgensibus, HENRICO LEUCHTERO, *Superintend.* & JOANNI WINCKELMANNO, *SS. Theologiæ Professori*, *die XVIII. Junii* anni MDCV. significavit *h)*. Cum vero hi tam verbis, quam scriptis hanc doctrinæ emendationem recusarent, inque ea opinione, *die X. Julii* una cum CONRADO THEODORICO, *Marburgensi Diacono*, rursus convocati persisterent, literæ Serenissimi MAURITII ipsis sunt exhibitæ, quibus serio adhortabantur, ne diutius Principis voluntati ac mandato obluctarentur, sed re-

ces

h) Confer die Antwort auff den Hessischen Bericht von den Marburgischen Kirchen-Händeln/ p. 42.

cessibus synodorum convenienter, quos SIGEFRIDUS CLOTZIUS, *Cancellarius*, publice eum in finem bis prælegit, christianæ religionis capita in posterum explicarent. Neglecta hac paterna admonitione exhibito *sequenti die* scripto *i*) ulterius mentem suam declararunt theologi, cumque in hanc illamve partem tergiversari velle viderentur, *die XII. Julii* in aulam iterum convocatis Principis nomine SIGEFRIDUS CLOTZIUS, adstantibus reliquis Consiliariis, proposuit: MAURITIUM in ea perseverare sententia, ut pax & antiqua ecclesiarum Hassiæ doctrina restitueretur, quo decreto num stare vellent, rotunde explicarent. Cum vero recessuum synodalium subscriptionem constanter recusarent, dominica octava Trinitatis, *die* scilicet *XIV. Julii*, ad MAURITIUM in aulam vocati finita

i) Quod exhibet die Antwort des Historischen Berichtes von den Marburgischen Kirchen-Händeln, p. 44.

nita concione vespertina una cum BALTHASARE MENTZERO, qui hucusque Academiæ nomine abfuerat, comparuerunt, ubi gravi ac diserta oratione in plena adstantium aulicorum corona Princeps eos allocutus, quæcunque a Consiliariis acta jam fuerant, longo ordine exposuit, gravissimoque argumentorum pondere commonstravit, nihil aliud se tentare, quam quod ad omnipotentis Dei gloriam, subditorum salutem & communis patriæ quietem pertineret. Mirari se quod eam rursus introduci detrectarent doctrinam, quæ a primo reformationis tempore per universam Hassiam invaluisset, & variis deinde synodorum recessibus stabilita post Hunnii demum adventum periculoso hoc ubiquitatis dogmate fuerit inquinata. Non esse interim sibi animum quemquam vel in minima conscientiæ suæ parte lædere, ut inde proprio cujuscunque arbitrio relinqueret; num juxta præscriptam nor-

mam

mam inposterum publice docere, aut privatim potius degere eligeret. Finita hac oratione MENTZERUS Serenissimum adiit, earumque rerum, quæ cum theologis acta essent, se non satis gnarum esse dixit *k*), dum expediendis Academiæ negotiis peregre hactenus absfuisset. Deducto hinc ad sacellum aulicum plenius Mauritii mentem explicavit Clotzius, quo facto collegis accessit & ad Principem rursus admissi unanimiter declararunt, se in eadem sententia perseverare, novæque emendationi & recessibus synodalibus subscribere nec velle, nec posse. Tentatis igitur, quamvis frustra, quibuscunque pacis mediis MAURITIUS eos clementer dimisit, serioque admonuit, ut explicandis e suggestu his controversiis abstinerent, ne populi, rerum harum ignari, animos ad seditionem excitarent. Administravit

k) Die Antwort des Historischen Berichts der Marburgischen Kirchen-Händel p. 49.

ſtravit deinde quisque ſuum munus, donec *die XXII. Julii* hora ſecunda pomeridiana in aulam rurſus acciti præſentibus JOANNE GOEDDÆO *l*), Rectore, reliquisque Profeſſoribus & Conſule cum Senatu urbis Marburgenſis, teſtibus ad hunc actum rogatis, in manus SIGEFRIDI CLOTZII munera ſolemniter depoſuerunt, & interprete HENRICO LEUCHTERO *m*) Sereniſſimo Principi pro præſtita hucusque clementia gratias demiſſe perſolverunt.

Cultui deinde divino ad tempus præeſſe juſſi ſunt GEORGIUS SCHOENFELDIUS, *Caſſellanus* & VALENTINUS SCHONERUS, *Zigenhainenſis Superintendens* una cum WIGANDO PFAFFIO, *Felsbergenſis*, atque DANIELE CELLARIO, *Borckenſis* eccle-

l) Cujus vitam exhibent AUCTORES **der Historie der Gelahrtheit der Hessen** *Trim. I. anni* 1729.

m) Ceu annotavit CONRADUS BACHMANNUS in MSS.

ecclesiæ pastoribus, dimissis vero Professoribus in facultate theologica, JOANNES MOLTERUS & CASPARUS STURMIUS, e Gudenspergensi ecclesia vocatus, a Mauritio fuerunt substituti *n*).

Ut autem populo vera rerum gestarum momenta innotescerent, Cancellarius reliquique Consiliarii *die XXIII. Julii* & aliquot sequentibus Magistratui ac civibus urbis Marburgensis prolixe explicarunt, quibus rationibus coactus hanc ecclesiasticæ disciplinæ emendationem Mauritius suscepisset. Ad evitanda vero sinistra quæcunque malevolorum judicia ipse Serenissimus Princeps *die XXVIII. Julii* hora secunda pomeridiana in frequentissimo professorum, reliquorumque civium Academicorum coetu elegantissima oratione e cathedra auditorii JCtorum

H ad

n) Historischer Bericht von den Marburgischen Kirchen-Händeln. *p.* 15.

ad Lanum, integram hucusque acto-rum historiam memoriter exposuit, simulque multis argumentis osten-dit, quam infirmæ fuissent theo-logorum, quibus magnam tamen eruditionis laudem attribuit, ratio-nes, ut pie & jure approbanda te-naciter recusassent. Studiosos de-inde serio admonuit, ne quidquam de gravamine conscientiæ metuant, aut aliis credant, qui secus rem essent enarraturi. Rectori vero ac Profes-soribus clementiam suam multis ver-bis testatus sincerissime promisit, se velle auctoritatem ipsorum tueri o-mnibusque modis conservare. Fi-nita hac oratione VULTEJUS A-cademiæ nomine Serenissimo MAU-RITIO demisse gratulatus est, & pro tam clementi ac plusquam pa-terno affectu erga patriam, acade-miam & studiosam juventutem eo, quo pollebat, dicendi flumine gra-tias persolvit *o*).

Disce-

o) *Annales Academiæ Marburgensis MSS.*

Discedenti inde ad ecclesiam MAURITIO, supplices literas exhibuerunt cives, quas non solum clementer accepit, sed ad singula etiam capita ante januam templi, adstante OTTONE a BALAND, *Brandenburgici Electoris Legato*, qui toti huic negotio interfuerat, distincte respondit. Adseveravit ipsis, non esse sibi animum nova fidei norma conscientiam alicujus onerare, sed eam salutem rursus introducere, quæ a longo jam tempore per universam patriam invaluisset. Injunxit deinde theologis, ut præcipua susceptæ emendationis capita in concionibus publicis populo explicarent, ad quas diligenter & attente audiendas cunctos adhortatus est. Cum vero VALENTINUS SCHONERUS *die VI. Augusti* de prioribus duobus emendationis capitibus *redintegratione* scilicet *Decalogi* & *ubiquitate Christi* verba faceret, repentinus in ecclesia tumultus nefarii hominis instinctu exortus est, & plebs ad seditio-

nem concitata novos theologos misere depexos e templo ejecit. Indignatus, ut par erat, hac re MAURITIUS Marburgum eodem adhuc die properavit, sua præsentia tumultuantes facili negotio compesci posse arbitratus. Verum illi metu pœnæ extrema quævis experiri statuebant; donec accitis aliquot militum cohortibus humiliati sceleris patrati veniam demisse flagitarent. Duravit hæc res ad *decimum tertium* usque *Augusti* diem, quo duodecim ex populo cum consule ac senatoribus ad pedes principis provoluti, interventu theologorum gratiam impetrarunt, promissa prius debita obedientia in iis, quæ ad restituendam pristinam ecclesiæ disciplinam Mauritius introduxisset *p*).

Fusi-

p) Historischer Bericht der Marburgischen Kirchen-Händel *p.* 17. *& seq.* *Adde* die *Motiven* und Ursachen der verweigerten *subscription* der *synodali*schen Abschiede / *p.* 65. *& seq.*

Fusius hæc omnia prosequi tanto magis duximus necessarium, quod durantibus his turbis VULTEJUS illustrissimum fidelitatis suæ in Principem edidit argumentum, dum non solum immotus semper ab ejus partibus perstitit, sed sapientissimis etiam, quæ subministravit, consiliis ad publicæ quietis ac concordiæ restitutionem haud parum contulit. Etsi autem publicis his negotiis tantum non undique circumscriberetur, ab Academicis tamen laboribus nequaquam vacavit. Ex voluntate enim MAURITII q) *die X. Februarii* hujus anni LUDOVICO *Seniori* justa persolvit, & in splendidissimo

 mo

q) Patet hoc ex verbis, quibus in exordio hujus orationis utitur: *At enim venia mihi a vobis petenta fuisset, vestra concilianda benevolentia; facultates ingenii mei extenuanda, rei magnitudo exaggeranda, excusanda mea in dicendo tenuitas, incusanda ætas ac valetudo mea, alleganda ab his studiis diuturna intermissio, prætexenda occu-*

mo Legatorum, Præſidum, Conſiliariorum, Profeſſorum, Senatorum, aliorum virorum conſeſſu Principis hujus memoriam *funebri oratione* æternitati commendavit. Publicas deinde privatasque lectiones indefeſſa induſtria continuavit, donec exortis tandem motibus Principi per integrum propemodum anni hujus decurſum omnem operam addixit, & Herculeos labores exantlavit. Dexterrimam hanc pro ſalute ſui Principis & communis patriæ Vulteji ſollicitudinem admiratus MAU-

occupationes & labores ab hoc inſtituto alieni, & quid non? Sed ab omni me hac cura exſolvit Illuſtriſſ. ac Potentiſſ. Princeps ac Dn. MAURITIUS, *Heſſiæ Landgravius, Comes in Catzenelnbogen, Diez, Zigenhain & Nidda, patronus & Mæcenas noſter clementiſſimus, Princeps ad omnia a natura factus*, qui me nihil minus cogitantem in hunc locum conſcendere, & *de vita atque obitu* LUDOVICI *Principis, patrui ſui, quem ut patrem ſemper veneratus eſt*, ad vos verba facere voluit &c.

MAVRITIUS, digno tantis curis ac vigiliis præmio compensandam clementer decrevit. Rude donari optaverat HERMANNUS LERSNERUS r), septuaginta annorum Jureconsultus, qui ultra annos quadraginta & unum jura in Academia Marburgensi publice docuerat, & Pro-Cancellarii munus per annos viginti sex fideliter administraverat, eumque in finem *die XXIII. Novembris*, concesso ad dies vitæ integro stipendio, a functione fuit liberatus s). Dignissimum illico MAURITIUS judicavit VULTEJUM, qui excelsa hac dignitate præ aliis omnibus exornaretur. Eodem igitur die in pleno

r) De cujus vita nonnulla annotavit PAULUS FREHERUS *in theatr. viror. illustr. p.* 998.

s) *Annales Academiæ Marburg. MSS.* ad h. a. Ut inde erret JUSTUS SINCERUS *in vitis JCtorum T. II. p.* 116. qui Vultejum *mortuo* Lersnero Pro-Cancellarii axioma obtinuisse credit. Vixit enim Lersnerus privatus usque in annum 1613.

no Professorum consessu Rector Principis auctoritate *Pro-Cancellarii officium* ipsi contulit *t*), recitatis prius iis, quae statuta Academiae injungerent, ut tanto minus aegre ferrent alii, si cum iis ita ageret, prout lex & praestita solemnis stipulatio id exigerent. Quam fausta vero ac felicia ex hac promotione sibi ominati fuerint Academiae patres, vel ex eo satis constat, quod publicis quibuscunque votis ac gratulationibus eum exceperint. Cum eodem adhuc anno *die XIX. Decembris* JOANNI HARTMANNO, *Matheseos Professori*, Pro-Cancellarius noster XXVI. candidatis primam Philosophiae lauream conferendi facultatem prima vice impertiret, is *Philosophicae Facultatis nomine* recentem dignitatem tam officiosis ac humanis verbis *u*) ipsi gratulatus est, ut facile sit intellectu,

t) *Annales Academiae Marburgensis MSS.*

u) Non piget quaedam speciminis loco hic adferre, *Patere quaeso*, inquit, *Clariss.*

lectu, qualem de hoc viro spem Academia conceperit.

Clariss. atque Consult. D. HERM. VULTEJE, *JC. eminentissime, patere, inquam, ut ego Te* communi venerandæ Facultatis Philosophicæ nomine *appellem, istamque recentem dignitatem Vice-Cancellariatus ex animo gratuler, non eam sane ob causam, quod illam Tibi magno admodum ornamento futuram putet, sed ob id multo magis, quod hanc ipsam tua virtute & prudentia posthac multo fore illustriorem atque ampliorem non segniter videt. Nam nisi mea me fallit opinio, cum Illustriss. ac Potentiss. Princeps* MAURITIUS, *Evergetes noster propitius, de viro itidem Ampl. ac Consultiss. Dn.* HERMANNO LERSNERO, *de universa hac schola perquam bene merito, hoc onere sublevando, ac in te transferendo cogitaret, non illud primum habuit in consilio, quomodo vos tantæ virtutis homines vel promereretur, vel ad excelsum honorem proveheret: sed qua ratione Academia in eo, quem hactenus Dei munere obtinuit, statu conservaretur, ac in dies cresceret. Quare si*

Nec hæc eam fefellit, dum quascunque impositi nuper officii partes ma-

recte atque ordine gratulandum sit, non jam dignitatem tibi, sed Te dignitati potius gratulari oportet. Ad hæc vero pro eo, quo erat animi candore modestissime respondit: *Optarem equidem, si Deo ita visum fuisset, Clar. & Consult. viri,* D. HERMANNI LERSNERI *ætatem tulisse, ut huic provinciæ, de qua Tu mihi tantopere gratularis, & cui ipse ultra annos viginti sex summa cum laude præfuit, diutius præesse potuisset, aut ea alii, magis quam ego sum, ad eam obeundam idoneo demandata fuisset. Sentio enim quam illa sit invidiæ & molestiarum plena, atque ne quid jam dicam de laboribus, periculorum haud omnino expers: & vero Dei beneficio eam nunc ætatem attigi, quippe anno ætatis meæ quinquagesimo superiore die lunæ mihi exacto, quæ laborum potius laxamentum quærere, quam novos sibi imponi pati fortasse debeat. Sed cum Deo O. M. rerum omnium moderatori aliud visum sit, & Ill. ac Potent. Princeps ac Dom.* MAURITIUS &c. *hoc ita voluerit, hujus etiam inclyta Academia*

mascule implevit, suaque cura at-
que

demia proceres id a me desideraverint, committere equidem nolui, ut Dei O. M. & Ill. Principis voluntati defuisse, procerum autem hujus Academia judicium de me honorificum sprevisse cuipiam jure videri possem: & ut hoc onus mihi imponi passus fuerim, id me Deo, Principi, Academia, patria denique universa debere existimavi, ut nolim quemquam de me ita sentire, quod honoris vel lucri alicujus causa, aut si quid ejusmodi est aliud, hanc provinciam susceperim, quam plus habere oneris, quam honoris, & ipse tu haud obscure profiteris, & non tam sum stupidus, ut illud non intelligam. Quare, quod nomine venerandi Collegii philosophici de hac provincia mibi tam amice gratularis, & ipsi collegio, & ipsius membris omnibus atque singulis, quin Tibi cumprimis, Vir Excellentissime, ingentes ago gratias: omnino autem de vobis mibi persuadeo, & persuasi hactenus, vos mei causa quidvis velle, & quidem hoc amplius, quod meministis me Collegii vestri aliquando fuisse partem aliquam, auspicio horum meorum

que labore id consecutus est, ut schola Marburgensis, quæ ab antiqua celebritate haud parum defecerat, mox reliquis omnibus in Germania palmam præripuerit. Desciverat hæc a pristina disciplinæ castitate, variisque turbis ac motibus hucusque agitata paulatim cœperat collabi. Ad avertenda majora mala apertius pro publico bono sæpius scripsit VULTEJUS, *Cassellas* tandem anno MDCVII. vocatus miserum temporum illorum statum consiliariis plenius exposuit. Reddi

rum laborum a professione litteraturæ Græcæ *facto*: *& vero memini ego cum voluptate*, *me* ante annos viginti sex idem munus, *quod tu nunc obis*, obiisse, meaque manu octodecim egregiis viris insignia magisterii contulisse. *At quæ mihi tribuis, equidem in me non agnosco: sunt hæc tui in me amoris, tuæque in me benevolentiæ. Verumtamen ita me Deo juvante unice in hoc ero, ne Ill. Principem voluntatis suæ, nec Academiæ proceres sui de me judicii pœniteat.*

ditis autem sufficientibus ejus, quam metuebat, pejoris conditionis Academicæ rationibus id effecit, ut *solemnis visitatio*, seu *reformatio* institueretur, deque omnibus ad Academiam pertinentibus tam œconomicis, quam professoriis rebus, de lectionibus, auditoribus tum publicis, tum classicis, exquisite & ad præscriptam normam rationes exigerentur. Delegavit in hunc finem MAURITIUS viros multa prudentia conspicuos, RUDOLPHUM RAW *ab Holtzhausen, præfectum provincialem ad Lanum*, EGGEBERTUM a MALSBUBG, BERNHARDUM ab HOVEL, SIGEFRIDUM CLOTZIUM & ANDREAM CHRISTIANI, qui facto ad *diem II. Novembris* initio, Professores omnes in dicasterium, ubi degebant, vocarunt, & ad præscriptos ex sententia & voluntate Principis graves quosdam & acute formatos articulos singulos seorsim examinarunt. Neque prius hæc res finem consecuta est, quam ver-

vergente ad exitum anno, ubi defectibus quibuscunque abunde perspectis, saluberrima remedia fuerunt adhibita; recessus vero consiliorum in insequentem annum publice promulgandus fuit reservatus w).

Floruit ab eo tempore Academia & unusquisque tam ex professoribus, quam civibus officii sui partes diligentissime adimplevit. Ut vero quotidie ejus splendorem adaugeret MAURITIUS, an. MDCIX. cognominem sibi filium *Rectorem* eligi permisit, cujus vices non sine gloria gessit VULTEJUS & CLXXXV. novos cives in album retulit x).

Novis interim controversiis circa idem hoc tempus implicitus fuit VULTEJUS, quamvis pacis alioquin amantissimus. GODOFREDUS

w) *Annales Academ. Marburg. MSS.*

x) *Annales Academiæ Marburgensis MSS.*

DUS ANTONIUS *y*), qui *Marburgi* Juris institutiones hactenus explicaverat, ad *Giessensem* Academiam nuper

y) ADRIEN BAILLET, *dans ses jugemens des savans* T. VI. p. 164. hæc de ipso refert: *Godefroi Antoine étoit né à Freudenberg en Westphalie l' an. 1571. & il fit ses études dans la province. Il fut précepteur des enfans d' un gentilhomme nommé Thal: il n' avoit alors que douze ans (singularité remarquable,) & il fit douze autres années avec ses éleves au College de Zoest, où il se servit de l' occasion pour apprendre le droit. L' an 1594. il alla à Marbourg avec ses disciples, où il passa Docteur en droit au bout de deux ans, & fut nommé Professeur quelque tems aprés par le Landgrave de Hesse. Lors qu' on eut érigé l' université de Giessen & confirmé ses privilegés, le Landgrave l' y fit venir pour étre le Chancelier de cette nouvelle Université, le principal Professeur en droit & le premier Recteur du College. Il fut aussi Conseiller du Prince, & il mourut l' an 1618. après s' étre acquité de diverses deputations & autres commissions honorables dont le Prince l' avoit charge*

nuper a LUDOVICO *Juniore* occasione motuum Marburgensium fundatam, vocatus concesserat, ibidemque obtentis ab Imperatore privilegiis *Cancellarii* ac *primarii Professoris* dignitatem erat consecutus. Is nescio quibus rationibus motus z) anno MDCVII. respondente CHRISTOPHORO KALTIO, *Spirensi*, disputationem juridicam *de augustissima sacratissimaque Cameræ Imperialis jurisdictione* ediderat, & inter reliqua, quibus occulte VULTEJUM impugnaverat, nefas esse scripserat, cum ipso asserere, *Imperatorem hodie legibus non esse solutum*, imo se vereri cum Vultejo ad l. 1. n. 44. C. ubi Senat. vel clariss. *Imperii Principibus, contra quos Hispanus aliquis aut Gallus judicio*

chargé. Adde THEODORI REINKINGII orationem funebrem in obitum Godofr. Antonii apud *WITTENUM in memor. JCtorum Decad I. p. 42.*

z) Non inepte vero mihi sentire videtur *ADRIEN BAILLET dans ses jugemens*

judicio velit experiri, privilegium primæ instantiæ, seu Austregarum denegare. Cum vero Vultejus consueto more intempestivum hunc rixandi pruritum adspernaretur, GEORGIUS MARTINUS, *Bartensteinensis Borussus a)*, illatam præceptori injuriam

I ægre

mens des savans T. VI. p. 164. scribens: *Herm. Vultejus avoit publié sa Jurisprudence Romaine en latin à Marbourg, à Hanau & ailleurs, en diverses editions reitérées depuis l'an* 1590. *Godefroi Antoine* jaloux de la réputation & du débit de cet Ouvrage, où animé du désir de corriger son prochain, & de désabuser le public, *entreprit de le rédresser par un* Anti-Vultejus, *qui fut imprimé l'an* 1609. *à Giesse in* 4. *sous le titre de disputationes Anti-Vultejanæ quatuor, Jurisprudentiæ Romanæ ab Herm. Vultejo editæ specimen exhibentes.*

a) Apud MELCHIOREM GOLDASTUM *in politic. Imperial. Part. XIII. nr.* 3. *p.* 630. extat *Excerptum ex disputatione* 1. *in Institutiones Juris civilis* GEORGII MARTINI *Bartensteinensis*

ægre ferens oſtendit, non negare Vultejum monarchiam eſſe Imperium Romanum, verum modum adminiſtrandi ariſtocraticum eſſe ſaltem affirmare *b*). Tam modeſte autem hanc reſponſionem adornaverat, ut ANTONIUM etiam ab omni

ſis Boruſſi, habita in Academia Marburgenſi de poteſtate Imperatoris legibus ſoluta & hodierno Imperii ſtatu, adverſus GODOFREDUM ANTONIUM, JC. Gieſſenum, *reſpondente Daniele Patterſonio, Dantiſcano Boruſſo.* 1609.

b) Jurium Statuum Imperii cum Marburgenſibus Vultejus noſter ſtrenuum ſemper egit defenſorem, & ex ejus principiis multa mihi hauſiſſe videtur HIPPOLYTUS a LAPIDE, ſeu quisquis demum notiſſimum libellum *de ſtatu Imperii Romano Germanici* edidit. Godofredus vero Antonius cum reliquis Academiæ Gieſſenſis JCtis pro Cæſare pugnabat, & celebri REINKINGKIO ad ſuas hypotheſes viam aperuit; etſi in hoc ſtudiorum genere vix huic æquiparandus ſit.

omni crimine abſolveret c), neque ullum alium, quam ingratum erga præceptorem ſuum KALTIUM offenſum velle publice profiteretur.

Verum Antonius per controverſiam cum tanto viro inclareſcendi cupidus graviſſime hac re indi-

c) Patet hoc ex verbis, quibus §. 87. utitur. *Equidem credo, ſi Præſes Tuus has theſes ad trutinam juſtitiæ examinaſſet; publica aura uſura indignas judicaſſet; nam quomodo poſſet ex animo hanc violare Academiam, quæ ipſum genuit, enutrivit, honoribus & dignitatibus ornavit & auxit, cui juramento obligatus eſt; quomodo Præceptori ſuo, Collegæ & Compatri talem per mendacium & calumniam injuriam fieri permittere potuiſſet. Natura equidem ab hac impietate abhoret. - - Proteſtor me hiſce* ullum alium, quam Te & mihi, & præceptori tuo ingratum KALTIUM offenſum velle. *Ea nunc tibi cenſori rigido & frigido extemporanea & ſub manu nata remitto; plura niſi nefarie poſitum vocabulum* NEFAS *eraſum videro, & limatiora brevi habebis.*

gnabatur, ſtatimque an. MDCVIII. diſputationem apologeticam *de poteſtate Imperatoris legibus ſoluta & hodierno imperii ſtatu cum ſubjectis corollariis adverſus HERM. VULTEJUM JC. Marburgenſem*, reſpondente eodem Kaltio in lucem emiſit d). Ita autem ſui ipſius erat oblitus, ut non Martinum tantum quibuscunque calumniis plebejo more proſcinderet, ſed publice etiam profiteretur, rem ſibi eſſe cum VULTEJO, quem in arenam provocaret e). Cum vero ille hanc animi impo-

d) Reperies eam apud GOLDASTUM *in polit. Imperial. Part. XIII. p. 612.*

e) Sic enim §. 64. loquitur: *Num vero putas nos, quos tuus Praeſul, ne per nomen ſuum inclareſceremus, reſponſione indignos judicabat, te ſcurram & tenebrionem ullo reſponſo dignari? Carcere & exilio dignus es, ſacrilege, non reſponſo. Et vero* cum VULTEJO nobis res eſt, & dehinc quoque erit, *quotiescunque facultas, cui praeſt, iſtiusmodi ſcurrilia ſcripta in nos edi permi-*

impotentiam miratus responsum constantissime detrectaret, ita exacerbatus est Antonii animus, ut anno MDCIX. *disputationem Anti-Vultejanam secundam* Jurisprudentiæ Romanæ *ab* HERMANNO VULTEJO, *JC. Marburgensi, edita specimen exhibentem* respondente GUIL. LUDOV. a FREYBERG publici juris faceret. Subsecuta deinde est, eodem adhuc anno *disputatio Anti-Vultejana tertia* respondente JOANNE CHEMNITIO, & anno MDCX. *disputatio Anti-Vultejana quarta* respondente JO. ERNESTO *ab* HOLLWEDE, quibus præcipua *disputationum juris scholasticarum* HERM. VUL-

permiserit: cum Vultejo, inquam, qui suo ministerio non ut discipulos & excollegas, sed ut vilissimos lixas nos tractare non dubitavit, non in nostram tantum, sed & in florentissima Academia nostra ignominiam, res nobis est & erit; non tecum scurra. Te Asinum saltantem ridemus, & lusci Borussi recto aspectu vitulos enectos miramur. Abi, quo trahi meritus es, abi.

VULTEJI capita iniqua censura impugnavit Antonius, eo usque progressus, ut quidquid etiam novarum opinionum in integro *de feudis* tractatu reperiretur, erroneum esse pronunciaret. At cum prudentiores omnes facili negotio perspicerent, vix aliam quam dissentiendi gloriam Antonium hac in causa consecutum esse, VULTEJUS ad convellendam ipsins loquacitatem nulla ratione adduci potuit, id omne tempus se perdidisse ratus, quod inutilibus istiusmodi altercationibus ac disputationibus, ex quibus nihil commodi in rempublicam redundaret, consumeretur.

Certe præstantiorem navavit operam, quod ad avertenda potius, quæ patriæ, imo universæ Germaniæ imminebant mala animum applicaverit, sapientissimisque suis consiliis inclinatis Protestantium rebus medelam adhibere omni ratione contenderit. Dimota enim e Germania Turcici belli mole, externæ quidem

paci

paci fuit consultum, at interna in majus periculum, quam ante unquam, fuit adducta. Quippe cum RUDOLPHUS II. *Imperator*, qui nullo distentus bello aperte Hispanicis consiliis regebatur *f*), auxiliis non amplius indigeret, crebrisque inter se contentionibus dissiderent protestantes, facilior eos vexandi turbandique potestas fuit

f) Admodum juvenis enim a patre in Hispaniam missus, ab avunculo PHILIPPO II. Rege educatus fuit; unde postmodum ministris & consiliis Hispanicis nimium fidit atque inexhausto Matheseos, Astrologiæ & Chymiæ amore flagrans indulgentia sua effecit, ut gravissima deinde mala Germaniam universam inundarint. Recte enim sentit *de PARIVAL dans son abregé de l'histoire L.II. chap. 13. p. 131.* scribens: *L'Empire n'avoit pas besoin d'un Distillateur, mais plûtôt d'un bon Operateur, pour agir puisement contre les mauvaises plantes, qui ont jetté des fortes racines sous son successeur, & qui ont donné tout des peines & des travaux à l'Empire.*

oblata. Sane consilium Aulicum gravissimum erga eos odium ubique ostentabat, & certissima ingruentis majoris periculi argumenta in dies percrebrescebant. Donavverda, imperialis civitas ab Abbate, qui intermissam diu solemnem lustrationem celebrans, male a civibus erat exceptus, fractæ pacis publicæ apud Cæsarem incusata, reque per Bojoariæ Ducem, cui hoc negotium delatum, vix leviter cognita, illico proscribebatur. Adhæc sententiæ hujus executio, Sueviæ præsidi de jure committenda, contra Imperii leges MAXIMILIANO, *Bojoariæ Duci*, demandabatur, qui protinus urbem aggressus facta deditione cives, frustra pro iis intercedente Senatu, libertate, armis & denique religionis suæ exercitio privavit *g*).

Indi-

g) Varia ad hoc argumentum extant scripta, scilicet **die Donawertische** *Relation*, & **nothwendige Gegen-Errinnerung gegen die Dona-wertis-**

Indignabantur, ut par erat, rei injustitia Imperii Status, purioribus sacris addicti, legatosque mittebant ad Cæsarem, qui fidem ejus implorarent, ne tantam religiosæ paci vim inferri pateretur. Verum cum frustra hæc essent omnia, eadem deinde exhibuerunt postulata in comitiis mox præsente FERDINANDO, Archi-Duce, *Ratisbonæ* celebratis; sed poscentibus pontificiis, ut Cæsaris proposita primo loco audiantur, post longas atque inanes disceptationes, antequam quidquam decer-

I 5 nere-

wertische *Information*, nec non die Donawertische *Information*, quorum hoc civitas Donavverdensis, illa Bavari publici juris fecerunt. Adde DAVIDIS CHYTRÆI *chronic. Saxon. contin. p.* 127. JAC. AUG. THUANI *histor. Libr.* CXXXVIII. JOBI LUDOLPHI allgemeine Schau-Bühne der welt *Libr.* VII. *c.* 2. *p.* 214. CASPARIS LONDORPII *Acta publica T.* III. *Libr.* XIII. *p.* 812-816. & JACOBI MEYERI *Londorp. supplet. T.* I. *p.* 354. *seq.*

neretur, soluta sunt comitia, infestisque animis utrobique discessum *h*). Facili negotio animadvertebant protestantes, quam violentis consiliis partam nuper tot hominum sanguine religionis libertatem opprimere tentarent catholici; indeque non sine ratione metuebant, fore, ut exortæ vix veritatis lux densissimis calamitatum tenebris rursus obfuscaretur.

Subsecuta demum mors JOANNIS GUILIELMI *Cliviæ, Juliæ & Montium Ducis*, anno MDCIX. *die XXV. Martii i*), sine hærede defuncti, pejora moliendi catholicis optatam præbuit occasionem. De possessione enim amplissimarum ejus ditionum illico diffidere cœperunt cognati Principes, *Brandenburgicus Elector*,

h) Ludolphs Schau-Bühne der Welt *ad an.* 1608 *p.* 239. *seq.*
i) Vide WERNHERI TESCHENMACHERI *Annales Juliæ, Cliviæ ac Montium p.* 358.

ctor, JOANNES SIGISMUNDUS & PHILIPPUS LUDOVICUS, *Dux Neoburgicus k)*, quorum ille pro-

k) Præter hos in universas defuncti ditiones vi expectativæ succedere volebant *Saxoniæ Duces* tam *Albertinæ*, quam *Ernestinæ* lineæ; in partem vero illarum MAGDALENA, tertia defuncti soror, JOANNIS, *Bipontini* Ducis, vidua, & CAROLUS, *Marchio Burgoviæ*, qui æquis partibus provincias inter superstites sorores dividendas contendebant. CAROLUS, *Dux Nivernii & Mantuæ*, in Ducatum Cliviæ & Comitatum Marcanum, *Bullionii* autem *Duces*, & *Comites Manderscheidii* in Comitatum Marcanum jus quærebant. Scripta quæ in hac controversia prodierunt, longo ordine recenset sidus Academiæ Viadrinæ, JUSTUS CHRISTOPHORUS DITHMARUS *in eruditissimis notis ad Teschenmacherum p.359*. Adde PAULI PIASECII *chronic. p. 259.* SAM. PUFFENDORFFII *Res Friderici Wilhelmi L.* IV. §. 2-6. LUDOLPHI Schau-Bühne der Welt Libr. IX. c. 2. p. 266. Libr. X. c. 2. p. 301. LONDORPI-

protestantes & Batavos, hic vero catholicos, ac inprimis Hispanos caussæ suæ patronos expertus est. Erupit demum hæc res in gravissimum bellum, quod tanto magis religioni & Germanicæ libertati exitiosum judicabant politici, quod catholici facile superiores essent futuri protestantibus, cum illi causam universi unam, hi variam contra agerent & disjunctam.

Hinc MAURITIUS ingruentibus his calamitatibus mature occurrendum ratus, Ordinibus Hassiæ provincialibus jam anno MDCIX. *Treysæ* convocatis *die X. Augusti*, gravissimum periculum, quo Imperium Romano-Germanicum, inprimis vero confessioni Augustanæ addicti Principes undique hoc tempore premerentur, proposuerat, serioque eos erat adhortatus, ut conjunctis viribus

DORPII *Acta publica* T. III. L. XV. p. 943. & MEYERI *Londorp. suppl.* T. I. p. 481.

bus ac consiliis patriam libertatem atque religionem contra atrocissimorum hostium insultus defendere anniterentur *l*). Et vero speratum finem res hæc consecuta fuit, dum congregati Status, contradicente quamvis LUDOVICO, *Darmstadino Principe m*), centum & quinquaginta mille florenorum summam exigendam decernebant, ut urgente necessitate Mauritius haberet, unde vim vi repellere, & patriæ defensioni tanto fortiori manu posset invigilare *n*). Convocato deinde

l) *Acta MSS.* derer zu Treysa im *Augusto* 1609. gepflogenen Handlungen.

m) Datis enim literis, *Leuchtenberga die VI. Augusti an.* 1609. signatis, contra hunc conventum solemniter protestatus est.

n) Non ingratum lectori futurum existimamus, si ipsa recessus verba hic exhibuerimus: Als der Durchlauchtigste/ Hochgebohrne Fürst und Herr/ Herr Moritz/ Landgraff zu Hessen &c. den

inde *Cassellas* angustiore Statuum de-
lectu

den 10. dieses Monaths Augusti den
allhier zu Treysa Ziegenhain zum
Landtag beschriebenen Prælaten/ Rit-
ter und Landschafft des löblichen Für-
stenthums Heßen / die vor Augen /
beyde im Römischen Reich und be-
nachbahrten Landen schwebende
Schwürigkeiten / Gefahr und jetzi-
gen durchgehenden Zustand im Rö-
mischen Reich / auch was vor Unheil/
Beschwerden und Nachtheil / diesem
löblichen Fürstenthum Heßen mit des-
sen zugehörigen Graff- und Herr-
schafften daher leichtlich entstehen und
zuwachsen könten / sich beweglich mit
Land-Väterlicher treuhertziger affecti-
on zu Gemüth geführet / sie Prælaten,
Ritter und Landschafft sich selbsten /
auch Deroselbiger / und leyder mehr/
als Reichs-kundiger/so wohl inner als
außerhalb Landes vorstehender weit-
aussehender Widrigkeiten und Be-
schwerden errinnert / auch dabey erwo-
gen / wie hochnöthig und daran gele-
gen seye / daß zur Abwendung sol-
cher allgemeinen Gefahr / und Ret-
tung des lieben Vaterlandes / allerley
nütz-

lectu *die XXV. Novembris* de præstandis servitiis equestribus actum fuit, cunctisque admonitis, ut evangelicorum saluti promta defensione serio prospicerent, iterum discessum *o*).

Verum

nützliche Mittel/ und insonderheit ein Vorrath an Geld durch eine gemeine Contribution gemacht und auff den unverhofften Nothfall / den der liebe GOtt gnädig abwenden wolt / zusammen gelegt / und verwahrlich behalten würde; als haben demnach anwesende Prælaten / Ritter und Landschafft dieses Fürstenthums zu Hessen unter sich einhelliglich gewilliget / einander versprochen und zugesagt / daß sie in Ansehung obgedachter Gefahr / und zu Abwendung derselbigen/auch Rettung des Vaterlands / damit auff zutragende Nothfälle man sich dessen zu gebrauchen hätte / eine willkührliche gemeine Zulage an Geld/ als nehmlich eine Summa von hundert und fünfzig tausend Gülden / jeden zu 36. Albus zusammen zu schiessen . . Geschehen Treysa den 14. Augusti 1609.

o) *Acta MSS.* derer Handlungen / so

mit

Verum cum tardius hæc procederent omnia, catholicorum vero potentia, qui Hiſpanorum viribus freti, omnia vi & armis abſorpturi videbantur, in dies augeretur, promptioribus auxiliis opus eſſe Mauritius arbitrabatur, & comitia, *die III. Aprilis* anno MDCX. *Marburgi* celebranda, denuo indixit. Convenere inſequente die quidam ex nobilitate reliquisque Statibus delecti *p*), quibus Principis nomine propoſitum

mit etlichen beſchriebenen Ständen den 25. Novembris 1609. zu Caſſel vorgangen.

p) Subſcripſerunt huic conſultationi Aſmus von Baumbach / Oberſter u. Marſchall / Wilhelm von Oinhaußen / Landcompthur / Steurberg von Löbenſtein / Oberſter zu Ziegenhain / Vollbrecht Riedeſel / Erb-Marſchall / Johann von Bodenhaußen / Aſmus von Buttlar / Urban von Boyneburck / D. Herm. VULTEJUS, Joh. von Linſingen / Hermann von der Malsburgk / D. Chri-

positum, vix securius ad conservandam patriæ tranquillitatem ac propulsandam vim adesse medium, quam si mercenarius miles quantocyus conscriberetur, & *Unioni Evangelicæ*, nuper *Hala Suevorum* per Protestantes Imperii Principes Juliacensium motuum occasione sancitæ, MAURITIUS accederet q). Re deliberata non una omnibus stetit sententia, aliis necessariorum sumptuum magnitudinem prætexentibus, aliis metuentibus, ne hac accessio-

Christoph Pauli/ Johann von Dalwig/ Hoffrichter/ Johann Schwerzel Senior, D. Johann Goddæus, Hanß Henrich von Breitenstein/ Sittig von Berlepsch/ D. Johann Deichmann/ Hermann von Wersabe/ Ewalt Jost von Baumbach/ Eitel von Berlepsch/ D. Johann Wolff/ und Reinhard Scheffer/ Canzlar.

q) *Acta MSS* der geheimen *consulation*, so etlichen von Adel und Ständen *a part* den 4. *Aprilis* 1610. zu Marburg *proponi*rt.

cessione offenderetur r) Saxo, ob confraternitatis pactum demulcendus, qui solus propemodum unioni nomen non dederat, vel quod Casareanis partibus esset addictior, vel ex æmulatione in Palatinum, quem pro capite fœderis socii hactenus coluerant.

Verum longe alia mens sedebat iis, qui publicam salutem & religionis libertatem privatis commodis anteponebant. Certe mactandus hac laude cum reliquis in primis venit VULTEJUS noster, qui exposito latius calamitoso temporum illorum statu invictis probavit argumentis, gravissimum patriæ imminere periculum, nisi armata manu subjectarum sibi ditionum fines Mauritius tueretur. Quod si vero necessarii ad conscribendum militem sumptus intra constitutum temporis spatium a subditis exigi haud possent, æquum esse justumque, ut ii,

r) Protocollum, ut vocant, votorum MSS.

ii, qui divitiis abundarent, pauperum inopiæ succurrerent, atque ea, quæ Principi, quæ patriæ, quæ religioni deberent, larga manu publico bono sacrificarent. Vana esse, quæ de Saxonis indignatione objicerentur; cum, si de religione agatur, plus Deo tribuendum sit, quam hominibus. Accedendum esse Mauritio Unioni Evangelicæ, quam in nullius injuriam aut oppressionem, sed ad communem solummodo religionis ac libertatis defensionem Evangelici Status pepigissent. Qua autem ratione confraternitatis pactum, nuper cum Electore Saxoniæ renovatum, obstaret, se quidem non videre *s*). Permoti his rationum momentis Vulteji sententiæ subscripserunt universi, Mauritioque, qui congregatos *die XII. Aprilis* coram alloquebatur *t*),

 san-

s) Protocollum votorum MSS

t) *Relation* desjenigen/was *Illustrissimus* den 7. *Aprilis* mündlich angezeiges.

ſanctiſſime aſſeruerunt, neminem eſſe, qui non hæc conſilia omni cura, labore, opibus, imo vita & ſanguine ſit defenſurus *u*). Et profecto ſua hac ſapientia ac dexteritate ita patriæ commodis proſpexit VULTEJUS, ut uberrimos hujus conſilii fructus poſt multorum demum annorum intercapedinem nepotes copioſe deguſtarint.

Comitiis feliciter ſolutis a politicis curis VULTEJUS revertebatur ad negotia Academiæ, cujus ſceptra hoc anno gerebat GUILIELMUS, *Haſſiæ Landgravius* w), princeps omni doctrina ornatiſſimus. Quamvis autem vix perferendis iis laboribus par eſſet, quibus ſtudioſorum commodo in Academia undique circumſcribebatur, novum tamen adhuc onus anno inſequente MDCXI.

u) *Reſolution* derer *deputirten* Stände auff gethane *propoſitionen*.

w) Teſtantur hoc *literæ* GUILIELMI *ad Academiam* datæ, quas ex MSS. hic producimus

Si

MDCXI. sibi sensit impositum, dum

 ecclesiae-

Si sera gratulatio reprehendi non solet, Magnifici, Reverendi, Consultissimi atque Clarissimi viri, syncere nobis dilecti, nec gratiarum actio aliquanto serior in cujusquam indignationem incurrat. Utraque enim non tam specioso & magnifico verborum apparatu, quam ipso animi sensu constantique mentis affectione emetienda est. At vero cum beneficium, quo nos anno superiori complexi fuistis, in animo nostro insideat penitus, non est cur putetis concrediti nobis Magistratus Academici insignia interjecto temporis spatio apud nos ita obsolevisse, ut nulla nos amplius officii, quod Academiae vestrae ob honores nobis collatos debemus, cura attingat. Quocirca literas hasce nostras propria manu exaratas grati animi sempiternaeque, qua beneficii vestri memoriam colimus, benevolentiae pignus habetote, itaque vobis persuadetote, nos gratitudinem nostram, quam nunc quidem verbis solum profiteri possumus, progressu aetatis, si Dei Opt. Max. beneficio diuturnior lucis hujus usura nobis can-

ecclesiastici consistorii Assessor a MAURITIO clementissime renunciabatur *x*). Sane haud vulgaris ejus doctrina & in agendis rebus dexteritas tam invictis undique argumentis

contigerit, re ipsa contestaturos, omniaque, quæcunque poterimus ad Academiam Vestram amplificandam atque exornandam studia & officia lubentissime collaturos. Valete Viri Clarissimi & acutissimo philosopho Domino *Rodolpho Goclenio*, seniori, successori nostro dignissimo, novos illos honores nostro nomine etiam atque etiam gratulamini. Dabamus Melsungæ 8. Januarii *Anni* 1611.

V. D.

studiosissimus,

GUILIELMUS, *Landgravius Hassiæ*.

Magnificis, Reverendis, Consultissimis atque Clarissimis Viris D. D. Rectori & Professoribus Academiæ Mauritianæ omnibus & singulis Nobis syncere dilectis.

x) Personalia, ut vocant, concioni funebri subjuncta.

tis percrebescebat, ut vix scirent Hassiaci Principes, quibusnam demum dignitatum honoribus eum devincirent, quem plurimi Principes ac Status Imperii, famæ pellecti splendore, oblatis lautissimis conditionibus ad se vocare non desistebant. Vix enim ERNESTUS, *Schaumburgiæ Comes*, a FERDINANDO II. *Imperatore*, anno MDCXXI. *Rintelienfis Academiæ* privilegia *y*) impetraverat, cum Vultejum ad exornandam ibidem *primariam juris spartam* sollicite invitavit *z*). Verum singularis amor, quo clementissimos suos Principes & Marburgensem Academiam a prima juventute prosecutus erat, nequaquam permisit, ut conceptæ Schaumburgici Comitis spei morem gereret, & patriam, multis

y) Quas legere poteris apud WINCKELMANNUM **in der Beschreibung der Fürstenthümer Hessen und Herschfeld** *L.* IV. *c.* 7. *p.* 461.

z) Vide VULTEJI *epist. ad Lotichium* in Append. II. p. 105.

multis nominibus caram, exoptatissima sua præsentia defraudaret. Et profecto si ullo unquam alio, certe tristissimo hoc tempore patria sapientissimis Vulteji consiliis opus habuit, cum, quod dudum ominatus erat, in pertinacissimum funestissimumque bellum vetus animorum de religione diversa sentientium exulceratio demum erumperet. MATTHIAS, amplioris spei quam gloriæ Princeps, nuper Romanorum Imperator electus, per ipsa suscepti regiminis initia Comitia *Ratisbonæ* indixerat, in quibus majore, quam antea unquam, contentione ac animositate lites, quæ Pontificios inter & Protestantes hucusque intercesserant, ventilabantur *a*). Verum Imperator justo timidior

a) Acta in his comitiis exhibent GOLDASTUS in den *politischen* Reichs-Händeln P. XXV. p. 1050. LONDORPIUS *in actis publ. T.* I. *p.* 114. *seq.* & MEYERUS *in supplem. Londorp. T.* I. *p.* 671. *seq.*

midior ad avertendam, quæ Germaniæ universæ ex his diffidiis certo imminebat, tempestatem, nihil prorsus contulit, sed prorogatis ad mensem Majum anni futuri comitiis nullam postmodum opprimendi Evangelicos occasionem, violentis Hispanorum consiliis incitatus, prætermisit. Injustissimi sane in eos odii dedit specimen dum WOLFGANGO GUILIELMO, *Duce Neoburgico*, ob ductam Bavaricam Principem Pontificia sacra amplectente, JOANNEM SIGISMUNDUM, *Electorem Brandenburgicum*, Juliacensium ditionum possessione accitis Hispanicis & Ligistarum copiis privare tentavit *b*); etsi facile viderent omnes, nec Neoburgico, nec Saxoni Hispanos operam impensuros, nisi ea spe lactarentur, fore, ut inter

b) PAULI PIASECII *chronic p.* 288. Transactionem inter domum Brandenburgicam & Palatino - Neoburgicam vide *in Codice Diplomatico nr. CXXXVI.* apud TESCHENMACHERUM *in Annalibus.p*, 206.

flagrantes turbas controverſarum ditionum ipſi potirentur. Neque melius actum cum proteſtantibus Aquiſgrani & Mulheimii civibus, diu a Magiſtratu Catholico vexatis, quibus contra juſtitiam proſcriptionis fulmen intentavit Cæſar, & executore AMBROSIO SPINOLA in exilium ejecit, non paucis ultimo ſupplicio ſubjectis *c*). Eandem experti ſunt fortunam in Bohemia Evangelici Status, ſeu, ut vocabantur, ſub Utraque, quibus contra conceſſum a Rudolpho II. privilegium de libero religionis exercitio *d*) templa in oppidis Brunovico & Cloſtergrabienſi præſulum mandato

c) Confer DAV. CHYTRÆI *Saxoniam L. XX. p. 690. & L. XXIX. p.* 864. LUDOLPHI Schau-Bühne der Welt *L. XIV. c.* 2. *p.* 488. LONDORPII *acta publ. T.* I. *p.* 160. MEYERI *contin. T.* I. *p.* 646.

d) Quod reperies apud GOLDASTVM *de Regno Bohemiæ in append. docum. p.* 140. & in *Theatro Europæo* ad annum cIɔ Iɔ cXIIX. p. 4-10.

to eversa fuerunt & destructa. Cum vero violentis his conatibus favere videretur Cæsar, de conservandis juribus & religione deliberaturi proceres Evangelici Pragæ convenerunt, & cum parum æqui mandata Cæsaris pollicerentur exasperatis graviter animis, GUILIELMUM SLABATAM, *supremum judicii provincialis præfectum*, JARISLAUM BORZITAM a MARTINIZ, *Carolostadii Burggrauium*, & PHILIPPUM FABRITIUM, *Secretarium*, more proditores patriæ puniendi recepto, de fenestra præcipitarunt, Jesuitasque, turbarum auctores, regno ejecerunt *e*). Re intellecta Cæsar ea, qua potuit, celeritate militem conscripsit, & durissimi belli, quod hucusque satis videbatur præparatum, fax accensa fuit, quod sub FERDI

e) Teste PAULO PIASECIO *in chronic. p.* 313, CARAFFA *in Germania sacra p.* 58. LUDOLPHO in der Schau-Bühne der Welt *L.* XVIII. *c.* 3. *p.* 667-674. & aliis.

DINANDO II. in Germaniæ viſcera translatum, crudeliſſime cœpit deſevire. Palatinatus tam ſuperior, quam inferior primam armorum vim ſuſtinuit, dum proſcripti a Cæſare FRIDERICI, *Electoris*, ditiones a Ligiſticis & Hiſpanorum copiis prædatorio more direptæ fuerunt & devaſtatæ. Neque dubium erat, quin oppreſſis Bohemis eandem ſubituri forent ſortem reliqui Status Evangelici, quos non manifeſta tantum vi, ſed variis etiam dolis circumvenire tentabant Catholici. In comitiis Ratisbonenſibus anno MDCXXIII. celebratis nulla reſtituendæ pacis ratio habita *f*): potius pontificii, Eccleſiaſticum reſervatum maligne interpretati, diverſæ religionis tolerantiam ab exitu haud procul abeſſe, publice jactabant. Proſpero armorum ſucceſſu ſuperbi evangelicorum ditiones frequenti militum tranſitu

f) Acta comitialia vide apud LONDORPIUM *in actis public.* T. II. p. 651. 661. 670. 674. 732. & 795.

situ & diris exactionibus exhauriebant, cum vix esset, qui victricibus Cæsaris armis resistere conaretur: imo cuncta ad Protestantium interitum amice visa sunt conspirare, novamque plane faciem brevi Germania universa induit *g*).

Quæ a longo hucusque tempore felicissima pacis halcyonia degustaverat Hassia inter ardentes vicinorum turbas secure haud potuit quiescere, sed reliquarum Germaniæ regionum fortunam experta novam etiam mutationem subiit. Superior principatus, de cujus hæreditate inter agnatos Principes lis hactenus intercesserat, cum Academia Marburgensi vi sententiæ Cæsareæ LUDOVICO, *Darmstadino Principi*, adjudicabatur, qui a subdelegatis etiam Cæsareis in illius possessionem die

g) Lege hac de re *Theatrum Europaum T.* I. PIASECIUM, CARAFFAM, PUFFENDORFIUM, ADLZREITERUM, LUDOLPHUM & innumeros alios.

die XVII. Martii anno MDCXXIV. immittebatur. Hinc pristinus Marburgensis Academiæ status immutatus Professoribus ferme omnibus, quos MAURITIUS constituerat, ab officio remotis *b*), novisque in eorum locum illico substitutis. Sed non eosdem, quos reliqui, fortunæ lusus sustinuit VULTEJUS, cui conditiones satis amplæ a LUDOVICO oblatæ, ut in ea remaneret Academia, quam tanta cum eruditionis ac gloriæ fama hucusque exornaverat. Rarum felicitatis exemplum, constans quatuor diversorum Principum favor, cum alias plerumque fortu-

b) Ex eorum numero præter septem illos, quos Cl. TILEMANNUS *in vita Georgii Crucigeri* p. 97. nominavit, adhuc fuerunt CASPARUS STURMIUS, *SS. Theologiæ Doctor & Professor*, GEORGIUS SCHOENFELDIUS Junior *J. U. D. & Orator*, atque JOANNES PINCIER *Medicinæ Doctor*, nec non *Physices Professor*, ex quibus tamen plurimi novæ Academiæ, a MAURITIO Cassellis conditæ, operam suam postmodum addixerunt.

fortuma eos, quos plurimis beneficiis ornavit, ad duriorem casum reservat.

Quamvis autem jam gravior ætas VULTEJO accederet, nihil tamen a se desiderari passus est, quod ad publicam salutem pertinere posse videbatur. Tam promptum enim erat in eo cunctos adjuvandi studium, ut nullos prorsus labores detrectaret, etsi sæpius questus sit, quod eorum magnitudine tantum non enecaretur *i*). Qui ex remotissimis etiam regionibus magno numero ad ipsum confluebant studiosi juvenes non profundissimam solum eruditionem, sed indefatigatam etiam in interpretando jure industriam admirabantur, unde id commodi redundavit in rempublicam, ut Musæ medios inter furibundi Martis strages securissimum semper asylum Marburgi invenerint. Adhæc quidquid in Imperio pressum erat fatigatumque, ad Vulteji ædes, velut

i) Vide *literas ad Petrum Lotbichium in Append.* II. *p.* 95.

velut ad justitiæ aram & æquitatis delubrum confugiebat, sciscitatum de jure, quo se & penates suos ab injuria defenderet. Certe non minor erat in eo MARTINO AZPILCUETA, *JCto* summo, de cujus singulari doctrina ea quondam omnium animos invaserat opinio *k*), ut domus ejus non unius modo civitatis, sed totius orbis terrarum oraculum haberetur, quo omnes confugerent, unde in suis rebus dubiis responsum referrent, quodque dictum ab eo esset, non aliunde quam ex Apollinis ore prolatum acciperent.

Certaverant hucusque inter se complures Europæi orbis Principes, quibus honorum dignitatumque fastigiis VULTEJUM exornarent, cum supremum mundi caput, FERDINANDUS II. *gloriosissimæ memoriæ Imperator*, qui in conventu Electorum *Ratisbonam* anno MDCXXX. convocato degebat, ultimum quasi his

k) Teste JANO NICIO ERYTHRÆO *in picanotheca viror. illustr. P. I. p. 1.*

his omnibus colophonem addere, & testatæ virtutis præmium ut omnium longe illustrissimum, ita jam dudum promeritum, ipsi tribuere decrevit. Proprio enim motu per Consiliarium suum D. OTTONEM MELANDRUM non *Comitivam* tantum *Palatinam* & *Consiliarii Cæsarei* axioma, sed *Equestris* etiam *dignitatis* togam VULTEJO deferri curavit. Ut autem erat ab omni fastu alienissimus, hanc Cæsaris gratiam ultro oblatam modeste deprecatus est, datisque sæpius ad Melandrum literis hanc prætexit excusationem, quod eum se nequaquam agnosceret, cui tantæ dignitatis ac eminentiæ fastigium imponeretur. Cum hæc agerentur VULTEJO nihil minus cogitanti anno MDCXXXI. *l*) eo ipso

L momen-

l) Quotquot de Vulteji vita literis aliquid hactenus mandarunt, ad unum omnes id anno *1624*. contigisse asseverarunt. Verum *ex literis ad Lotichium*, quas in Appendice II. nr. XX. publici juris fecimus, hujus asserti falsitas clarissime

momento, quo fortissimus ille Germanicæ libertatis vindex, GUSTAVUS ADOLPHUS, *Suecorum Monarcha*, Franconiam cum exercitu intravit, *decretum Imperatoris Vienna* mittebatur, cui tanto magis stantum putavit, quod sapientissime metueret, ne, si oblata sponte beneficia diutius recusaret, Cæsaris indignationem incurreret. Addidit demum illustrissimum summæ clementiæ testimonium Imperator, dum Vul-

rissime evincitur. Et amice cum iis conspirant, quæ tradit PETRUS LOTICHIUS *Rerum Germanic. L. XVI. c. 1. p. 236.* scribens: PAULO ANTE *quam ἐυθανασίαν consequeretur, Ferdinandus* II. *Imperator gloriosissimus, fama ac meritis tanti viri invitatus, ultro Equestris dignitatis, ac Cæsarei Consiliarii axioma per decretum Vultejo, etiam reluctanti obtulit.* Quamvis autem sciamus, ubinam hujus decreti, cujus exemplum Vultejus olim Lotichio transmiserat, autographum lateat, vix ullis tamen precibus impetrare potuimus, ut illius inspiciendi potestas nobis concederetur.

Vultejo *consuetum nobilitatis diploma*, quod hactenus nondum petierat, per PETRUM HENRICUM a STRALENDORFF, *Imperii Vice-Cancellarium* insequente anno cum multa singularis gratiæ significatione strenæ loco Marburgum transmisit. Cum vero in ferali illa urbis Marburgensis direptione, a Cæsareo milite an. MDCXLVII. patrata *m*), me-

m) Dum de Marburgensis urbis obsidione mentionem injicimus non ingratum Lectori putamus futurum, si ad illius historiam quædã ex JO. KORNMANNI *literis MSS. ad amicum*, quas Vir Celeberrimus, D. JO. GEORG. ESTOR pro ea, qua est, humanitate benevole nobiscum communicavit, heic loci inseruerimus. *Tertius est dies*, scribit, *ex quo Deo dante miles Cæsareus isthinc se movit, imo vero proripuit, mera scilicet nocte, tacitus omnino & omnibus prius ex arce aditibus vel palis, vel doliis, cistis, repositoriis, januis aliisque id genus rebus obfirmatis, ne qua forte eruptione ex arce opprimerentur. Cæterum dirutis enim munitionibus & sepimentis*

memoratum diploma cum omnibus
Vul-

mentis aliis, ipsis etiam portis & extorta nomine lytri 15000. thalerorum promissione. Qui, cum quantacumque illa fere & gregario tantum milite parta expilata urbis præda, num exæquent illata Cæsarianis durante urbis arcisque obsidione damna, vel ipsis illis fatentibus ultra ducenta millia thalerorum exurgentia, sano cuivis facile est æstimare. Illud enim certum est, ultra quadringentos & triginta eorum qua cæsos, qua vulneratos, unter welchen ein General-Wachtmeister genannt Reich / 8. Obrist-Lieutenants. 1. Obrister-Wachtmeister / 10. Capitains, 8. von den besten Constables. und unterschiedene andere Officiers. Imo Generális ipse supremus MELANDER, *quem vocant, tormentorum alignorum in hospitium ipsius directorum, explosione circa faciem & latus dextrum graviter est sauciatus, non sine mortis præsentissima periculo, a quo nec adhuc dum abesse creditur. Faxit Deus ut ad Garamantas & Indos abeat, una cum comitibus omnibusque, qui hostilia in nosmet porro meditantur, nobis vero redeat pax, tranquillitas & rerum si*
non

Vulteji manuscriptis fuisset ablatum, *augustissimus Rom. Imperator*, LEOPOLDUS gravissimum hoc damnum nepoti HERMANNO VULTEJO, *Hassorum Principis Consiliario & Marburgensis Regiminis Vice-Cancellario*, anno MDCXLIV. sequentibus tabulis plenissime resarcivit:

WIr LEOPOLD, von GOttes Gnaden erwählter Römischer Kayser / zu allen Zeiten Mehrer des Reichs / in Germanien / zu Hungarn / Böhmen / Dalmatien / Croatien / und Sclavonien / König / Ertzhertzog zu Oestreich / Hertzog zu Burgund / zu Braband / zu Speyer / zu Kärndten / zu Crain / zu Lützenburg / zu Würtemberg / Ober- und Nieder Schlesien / Fürst zu Schwaben / Margraf des Heil. Römischen Reichs / zu Burgau /

 Mäh-

non omnium, at necessariarum affluentia, ut denique meritas pœnas luant quicunque nostri infortunii sunt architecti. Marburgi die 16. Decembris 1647.

Mähren/ Ober- und Nieder Laußnitz/ Gefürsteter Graf zu Habspurg / zu Tyrol / zu Pfirdt / zu Kyburg und zu Gärtz / Landgraf in Elsaß / Herr auf der Windischen Marck / zu Portenau und zu Salins rc.

Bekennen vor Uns und Unsere Nachkommenen am Heil. Römischen Reich und Unsern Erb-Königreichen / Fürstenthum und Landen / offentlich mit diesem Brief und thun kund allermänniglich / wiewohl Wir aus Römischer Kayserlicher Höhe und Würdigkeit / darein Uns der Allmächtige nach seinem Göttlichen Willen gesetzt hat / auch angebohrner Güte und Mildigkeit allezeit geneigt seynd / aller und jeder Unserer und des Heil. Römischen Reichs / auch Unserer Erb-Königreiche / Fürstenthümer und Landen / Unterthanen und Getreuen Ehr / Nutz / Aufnehmen und Bestes zu befördern / so ist doch Unser Kayserliches Gemüth nicht

und

und mehrers bewegt und begierli-
cher / denenjenigen Unser Kayserl.
Gnad und Sanfftmüthigkeit mit-
zutheilen / auch ihren Namen und
Stammen in noch höhere Ehr und
Würdigkeit zu setzen / und sie mit
Unseren Kayserlichen Gnaden und
Freyheiten zu begaben / welcher
Vor-Eltern und sie selbst in alten
ehrbaren und redlichen Stand
herkommen und sich Adelicher gu-
ter Sitten beflissen / auch Uns /
dem Heil. Römischen Reich und
Unserm Ertz-Hauß Oestreich mit
getreuer beständiger Dienstbarkeit
vor andern gehorsamlich anhängig
und zugethan seynd.

Wann Wir nun gnädiglich an-
gesehen / wahrgenommen und be-
trachtet / die Ehrbarkeit / Redlich-
keit / gutes Herkommen / Adeliche
Sitten / Tugend und Vernunfft /
worinit vor Unser Kayserlichen
Majestät **Unsers lieben Oheim
des Fürstens zu Hessen Cassel
löbl. Regierungs-Rath und**

 Vice-

Vice-Cantzlar/ Unserer und des Reichs lieber Getreuer/ Hermann Vultejus gerühmt worden / auch die angenehme / gute und sehr ersprießliche Dienste / welche Unsern An-Herren Ferdinando dem Andern/ Christmildester Gedächtnuß/ sein Alt-Vater Herman Vultejus, gewesener *Pro Cancellarius* zu Marburg/ in den vorigen schweren Kriegs-Läufften im Reich/ dem gemeinen Wesen zum besten mit ungesparter Mühe und Arbeit in viele Wege treu und unterthänigst erwiesen / immassen dann Höchstgedachter Unser Anherr in Ansehung solcher stattlich erworbenen *Merit*en / ihme samt seiner gantzen *Posterit*ät nicht allein in des Heil Römischen Reichs Adelstand neben Beylegung des Kayserlichen Raths *Titul* zu einer Erkäntnuß Kays. Gnaden *proprio motu* erhebt/ sondern ihme auch das hierüber verfertigte *Diploma* durch

durch den damaligen Reichs-*Vice*-Canzlar Grafen von Stralendorff an statt eines Neuen Jahrs übersenden lassen / dessem rühmlichen Exempel nachzufolgen / er Herman Vultejus von Jugend auf sich beflissen / auch gehorsamst gebethen / daß / weilen gedachtes seines Alt-Vaters Diploma, vermög eines Uns glaubwürdig producirten Attestati Anno sechszehen hundert sieben und viertzig bey der durch die damalige Käyserl. Waffen mit Sturm übergangene Stadt Marburg und hierauff gefolgten Blinderung wieder verlohren worden / Wir ihme in gnädigster consideration der von gedachtem seinem Alt-Vater dem Heil. Römischen Reich so viel geleisteten treu unterthänigstẽ Diensten seinen bißhero erloschenen Adelstand aus Kayserl. Gnaden auffs neue zu confirmiren und zu bestättigen / gnädigst geruhen möchten / welches Wir auch nun so gnädiger gewilliget

get haben / als er hinführo Uns / dem Heil. Römischen Reich und Unserm Ertz-Hauß Oesterreich in allen Begebenheiten treu und unterthänigste Dienste zu leisten des unterthänigen Erbietens ist / auch wohl thun kan / mag und soll; so haben Wir demnach zu Erzeigung Unserer Kayserl. Gnade / darmit Wir ihme Herman Vultejo gewogen / diese besondere Gnad gethan / und ihme sein Adelich Herkommen und Geschlecht nicht allein confirmirt und bestättiget / sondern auch ihn / seine Eheliche Leibes-Erben und deroselben Erbens-Erben / Manns und Weibs Personen von neuem in den Stand und Grad des Adels Unserer u. des Heil. Römischen Reichs / und Unserer Erb-Königreichen / Fürstenthum und Landen / recht gebohrnen Adel- und Rittmäßigen Lehnen und Turniers Genoß Leuten erhebt / darzu gewürdiget / geschöpfft / geadelt / und sie derselben Schaar / Gesellschafft und Gemeinschafft

schafft des Adels zugefügt / zugesellet / und vergleichet / allermassen und Gestalt / als ob sie / von ihren vier Ahnen / Väter- und Mütterlichen Geschlechts beederseits recht Adelgebohrne Lehns- Turnirs Genoß und Rittermäßige Edelleuthe wären ;

Und zu mehrer Gedächtnuß und Zeugnuß solch unserer Kayserlichen Gnad und Erhöhung in den Adelstand haben Wir ihnen und seinen Ehelichen Leibes- Erben und derselben Erbens-Erben Manns- und Weibs- Personen in ewige Zeit sein ehedessen schon geführtes alt Adeliches Wappen *n)* confirmiret und bestättiget. Thun das auch und geben ihme Herman Vultejo, seinen Ehelichen Leibes- Erben und

n) Insigne Vultejorum est caput canis nigri in solo argenteo, cujus lingua protensa cocco tingitur, collumque tegitur fascia, canibus consueta, eaque aurea, cum annulo ex hac pendente. Supra est galea aperta simili canis nigri

und derenselben Erbens-Erben Mann- und Weibs-Personen solche Gnad und Freyheit / confirmiren und bestättigen ihnen ihr Adelich Herkommen / erheben / würdigen und setzen sie also von neuem in den Stand und Grad des Adels / adlen / gesellen / gleichen und fügen ihn auch in die Schaar / Gesell- und Gemeinschafft Unserer und des H. Reichs / auch Unserer Erb-Königreichen Fürstenthum und Landen / rechtgebohrnen Lehens-Turniers Genoß und Rittmäßigen Edelleuthen / gönnen und erlauben ihnen auch obberührtes Adeliche Wappen und Kleinod also zu führen ūn zu gebrauchen / von Römischer Kayserlicher Macht Vollkomenheit hiermit

gri capite fastigiata. Scuti latus utrumque cingitur tegumento, a casside pendulo, altero argenteo, nigro altero. Adi, si lubet, IO. FRID. SCHANNATI *clientelam Fuldens. beneficiar.* *p.* 177. ubi ectypon horum insignum, quamvis male delineatum, videre poteris.

mit wissentlich in Krafft dieses Briefs / und meynen / setzen / und wollen / daß nur vorgedachter Herman Vultejus dessen Eheliche Leibs-Erben und derenselben Erbens-Erben / Manns- und Weibs-Personen in ewige Zeit rechtgebohrnen Lehens- Turniers-Genoß und Rittmäßige Edelleuth seyn / von männiglich also geheissen / und aller Orten und Enden und jeden geist- und weltlichen Handeln und Sachen davor erkennet / geehret / genennet u. geschrieben werden / auch alle und jede Gnad / Ehre / Würde / Freyheit / Vortheile / Recht und Gerechtigkeit / Alt-Herkommen und gute Gewohnheit haben / mithin beneficien auff Domstifften / hohen und niedern Aemtern und Lehen / geist- und weltlichen anzunehmen / zu empfahen / zu haben und zu tragen / mit andern Unsern und des Reichs auch Unserer Erb-Königreiche / Fürstenthum und Landen rechtgebohrnen Lehens Turniers-

Ge-

Genoß und Rittmäßigen Edelleuthen in allen und jeden Turniren zu reuthen/ zu turniren/ Lehen u. alle andere Gericht und Recht zu besitzen/ Urtheile zu schöpffen und Recht zu sprechen / auch der und aller anderer Adelichen Sachen / Handlungen und Geschäfften inner und ausserhalb Gerichts theilhafftig/ würdig/ empfänglich darzu tauglich und gut seyn / sich dessen alles in all und jeden ehrlichen/redlichen/ Adelichen/ und Ritterlichen Sachen u. Geschäfften zu Schimpf und Ernst in Streiten / Stürmen/ Schlachten / Kämpffen/ Turniren/ Gestechen/ Gefechten/ Ritterspielen/ Feldzügen/ Panniren/ Gezelt auffschlagen / Insiegeln/ Petschafften / Kleinoden / Begräbnissen / Gemählden und sonst an allen Orten und Enden nach ihren Ehren / Nothdurfften/ Willen und Wohlgefallen/ gebrauchen und geniessen sollen und mögen/ als andere Unsere

sere und des Heil. Reichs auch Unserer Erb-Königreich/Fürstenthum/ und Landen/ rechtgebohrner Lehens Turniers Genoß und Rittmäßige Edelleuth von Recht und Gewohnheit/ von allermänniglich unverhindert. Und gebieten darauf allen und jeden Chürfürsten / Fürsten/Geist und Weltlichen Prælaten/ Grafen / Freyen/ Herrn / Rittern/ Knechtē/Land-Marschallen/ Lands Hauptleuthē/ Vitz-Domben/ Vögten / Pflegern/ Verwesern/ Amtleuthen/ Land-Richtern / Schultheissen / Burgermeistern / Richtern / Räthen / Kundigern der Wappen / Ehren-Holden / Persevanten / Bürgern / Gemeinden / und sonsten allen andern Unsern und des Reichs/ auch Unserer Erb-Königreich/ Fürstenthum und Lande/ Unterthanen und Getreuen / was Würden / Stands oder Wesens die seynd / ernst und vestiglich mit diesem Brief/ und wollen daß

sie

sie ob viel ermeldten Herman Vultejum, seine Eheliche Leibs-Erben und derenselben Erbens-Erben Manns- und Weibs Personen für und für in ewige Zeit als andere Unsere und des Reichs/ auch Unserer Erb-Königreichen / Fürstenthum und Landen rechtgebohrne Lehens-Turniers-Genoß und Rittmäßige Edelleuthe in allen und jeden geist- und weltlichen Ständen/ Stifftern und Sachen/ wie vor stehet / annehmen / zulassen / würdigen / ehren / und an dieser vorgeschriebenen Unsern Kayserlichen Gnaden / Freyheiten / Gewohnheiten / Gesellschafften des Adels / auch obberührten Adelichen Wappen und Kleinod nicht hindern noch irren / sondern allerdings ungehindert gebrauchen / geniessen / und gäntzlich darbey bleiben lassen / darwider nicht thun / noch das jemands andern zu thun gestatten / in keine Weise noch Weg/ als lieb einem jeden

jeden seye Unser und des Reichs schwere Ungnad und Straff / und darzu eine poën nemlich fünffzig Marck löthig Golds zu vermeyden / die ein jeder so offt er freventlich hierwider thäte / Uns halb in Unser und des Reichs Cammer und den andern halben Theil obbenamtem Herman Vultejo, seinen Ehelichen Leibs-Erben und derenselben Erbens-Erben / so hierwider beleidiget würden / unnachläßlich zu bezahlen verfallen seyn solle.

Mit Urkund dieses Briefs besiegelt mit Unserm Kayserl. anhangenden Jnsiegel / der gegeben ist in Unser Stadt Wien den achten Tag des Monats Octobris nach Christi Unsers lieben HErrn und Seligmachers Gnadenreicher Geburt im Sechzehen hundert vier und neunzigsten / Unserer Reiche des Römischen im Sechs und dreyssigsten / des Hungarischen im Neun und dreyssigsten

ſigſten und des Böheimbiſchen im Acht und dreyſigſten Jahr.

LEOPOLD.

(L.S.)

Vt. Dominicus Andreas Graf von Kaunitz.

Ad mandatum Sac. Cæſ. Maj. proprium.

C. T. Consbruch.

Quamvis autem ad excelſum hoc dignitatis ac eminentiæ culmen a Cæſare evectus ſibi ſuæque domui VULTEJUS ſplendorem conciliaverit haud vulgarem, ab omni tamen jactantia faſtuque inani alieniſſimus devotum Principi ſuo obſequium, incorruptam Academiæ propenſionem, ſummamque collegis ac amicis comitatem ad extremum usque vitæ halitum exhibuit.

Uſus hucusque erat valetudine ſat firma atque vegeta; verum ingraveſcente in dies ſenectute corporis animi-

nimique vires paulatim sensit debilitari. Memoriæ inprimis defectum deplorabat, cujus tamen nulla ratione habita a consuetis laboribus quiescere nec voluit, nec potuit, etiamsi mortis imminentis periculum sæpius prædiceret o). Ut autem immensam omnipotentis Dei misericordiam omnibus in rebus abunde hucusque erat expertus, ita hoc non postremum felicitatis suæ argumentum judicavit, quod cum conjuge unica, ADELHEIDE HAPPELIA, sine querela & iis, quæ matrimonium comitari solent, molestiis semiseculum vivendo transegisset. Hinc cum neptim CONRADO BALTHASARO PICHTELIO, *JCto & Consiliario Holsatico*, in matrimonium collocaret, æquum censuit justumque GEORGIUS II. *Darmstadinus Princeps*, *ut semi-secularis hujus jubilai memoria* publice in templo celebraretur, eaque occasione Deo pro

 sin-

o) Vide *literas ad Lotichium* in *Append.* II. nr. XVII. XIX. & XX.

ſingulari hac clementia grates perſolverentur. Literæ, quibus ad hoc faciendum Georgius admonuit Vultejum, ſingularem ſpirant gratiam ac clementiam, unde eas hic legere non pœnitebit:

GEORG, von GOttes Gnaden Landgraff zu Heſſen/ Graff zu Catzenelnbogen 2c.

Hochgelahrter Rath und lieber Getreuer! Wir haben aus euerem/am 9. diß datirten und Uns wohl eingelieſſerten Schreiben gnädig vernommen / welcher Geſtalt Uns ihr den zwiſchen eurer Enckelin / Chriſtianen Adelheit Pfreundin, und D. Conrad Balthaſarn Pichteln / Holſteiniſchen Rath / getroffenen Chriſtl. Heurath und bevorſtehende Hochzeitliche feſtivitæt notificiren / und Uns darneben unterthänigſt anlangen wollen bey demſelben Unſere Stelle durch jemand der Unſerigen repræſentiren/ auch wegen der publicirtten Hochzeits-

zeits-Ordnung euch zu dem End dispensation wiederfahren zu lassen/ damit aus denen angezogenen Ursachen etwa über die verordnete Tische/Hochzeit-Gäste möchten eingeladen werden. Wie Wir nun beyden Gesponsen zu solchem Christlichen Vorhaben/ so wohl auch euch/ als dem Alt-Vater/ zu dieser an den Seinigen/ durch GOttes gnadenreichen Seegen/ erlebter Ehr/ und Freude/ von der himmlischen Allmacht Glück/ Heyl und alle Wohlfahrt anwünschen/ euch auch mit sonderbaren Gnaden beharrlich wohl beygethan seynd/ also bedancken Wir Uns beschehener Einladung/ und euerer daraus erscheinender/ohne das bekandter/unterthäniger und getreuer Affection, und wollen nicht unterlassen/ durch jemand der Unserigen/ Unsere Fürstl. Stelle gebührlich vertretten zulassen/ seynd auch Krafft dieser Unserer sonderbaren Bewilligung/ gnädig zu frieden/ daß ihr eurer Gele-

 genheit

genheit nach/ das Hochzeitliche Ehren-Fest etwas weitläufftiger / als Unsere Ordnung præcise vermag/ anstellen möget.

Als Wir auch hierbey gnädig erwogen/ daß der allmächtige gütige GOtt euch / einen um Uns und Unser Fürstl. Hauß Hessen/ so wohl auch um das gemeine Vaterland wohl verdienten Mann/mit ehrlichem ansehnlichen Alter dergestalt mild-Väterlich gesegnet / daß ihr mit eurer lieben Haußfrauen nunmehr / deme Uns beschehenen Bericht nach / drey und fünffzig Jahr im Heil. Ehestand/ Christlich / rühmlich und wohl zugebracht / welches dann billig vor eine sonderbahre / unter vielen tausendē kaum einem begegnende Gnad und Seegen des Allerhöchsten zu achten.

So thun Wir euch auch hierzu aus sonderbarer/ zu euch tragender Fürstl. affection GOttes fer-

ferneren reichen Seegen und eines so hohen Alters noch längere Erstreckung / gnädig anwünschen / daß Uns Unserm Fürstl. Hauß und dem gemeinen Vaterland ihr noch länger viel getreue nützliche und ersprießliche Dienste leisten / Unserer lieben Universität Marburg noch weiter in viel erstreckte Jahre ein sonderbarer Vorstand und Zierde seyn / auch bey derselben / sonderlich aber bey der studirenden Jugend / mit exemplarischem Vorgang / heylsammen informationen / und guten Errinnerungen viel und grossen Nutzen schaffen / so dann den curigen auch noch ferner wohl vorstehen möget / und da ihr in Errinnerung solcher von GOtt euch dißfals verliehener denckwürdiger Gnad / eine in dergleichen Fällen etwa gewöhnliche Gedächtnüß anstellen woltet / würde Uns solches nach Unsrer zu euch tragender sonderbaren propension nicht nur nicht zuwider / sondern lieb seyn.

So Wir euch in Gnaden/ damit Uns ihr beharrlich wohl beygethan habt / ohnangedeut nicht lassen wollen. Datum Darmstadt/ am 16. Aprilis Anno 1634.

GEORG,

Landgraf zu Hessen.

Ad celebranda igitur sacra hæc solemnia publico programmate per Academiæ tunc temporis Rectorem, JUSTUM SINOLDUM, *J. U. D. & Professorem pandectarum ordinarium*, dies XXVIII. hujus Mensis fuit præscriptus, ubi finita, quam in frequenti Procerum ac civium corona JUSTUS FEURBORNIUS, ex Psalmo CXXVIII. vers. 1-6. habuerat concione *p)*, VULTEJUS cum Conjuge charissima ante aram prostratus

p) Quæ typis excusa extat sub titulo: **Christliche Predigt bey der Ehren-Danck-Gebet-Freuden und Ermahnungs-***Solemnität* **des** Hermanni Vulteji **und der Tugendreichen Frau** Adelheit Happelin **und**

tus Deo O. M. non tam pro novis nuptis supplicavit, quam pro eo usque felici ac diuturno conjugio, longæva senectute, variisque ac multiplicibus beneficiis vota & solemnes grates persolvit q). Insequente die THEODORUS HOEPINGKIUS, e cathedra JCtorum ad Lanum *solemnem panegyricum* dixit, & rarissimum hoc humanæ felicitatis spectaculum Vultejo Academiæ nomine inter amicorum plausus & ardentia pro vitæ longioris concessione vota ac suspiria gratulatus est.

Verum alia placuere Supremo rerum omnium Moderatori, qui humana hæc gaudia cito in gravissimum

und zugleich Conr. Balthas. Pichtelii J. U. D. und Adelheid Pfreundin geschehener *Copulation* und Einsegnung gehalten durch Justum Feurbornium, *SS. Theol. Doct. & Prof.* In der Stadt-Kirchen den 28. *April* 1634. Marburg 1635.

q) Narrante JO. PETRO LOTICHIO *Rer. Germanic. Libr. XVI. cap. I. fol.* 236.

mum luctum convertit. Vix enim ſpatium trium menſium erat præterlapſum, cum Vultejus in graviſſimum morbum *die XXVII. Iulii* incidit, quem illico lethalem judicabant Medici, quod ſuperveniens die XXX. ejusdem febris diarrhœæ juncta omnem naturæ vim impetu continuo frangeret, & corporis vires ſenio, curis atque laboribus jam fractas, penitus exhauriret. Non expavit imminens mortis periculum, quam ſibi propinquam eſſe toties prædixerat *r*), ſed firmum conſtantemque animum ſervavit, donec inſequente *die XXXI. Julii* *s*) uxori liberisque vale-

r) Vide *literas ad Lotichium* in Append. II. p. 108.

s) Ceu teſtantur *Perſonalia*, ut vocant, concioni funebri ſubjuncta & *Elenchus MSS. bonorum virorum, qui in ſchola Marburgiana bonas literas profeſſi ſunt,* ubi hæc leguntur: *Clariſſimus vir*, D. HERM. VULTEJUS, *Academiæ Procancellarius pie & placide diem ſuum obiit Anno 1634. ultima Julii intra* I. *&*

valedicens inter ardentiſſimas adſtantium preces, quas ipſe quoque moribundus lingua jam rigescente faciebat, *poſt primam pomeridianam* placide obdormivit, cum LXXIX. ætatis annum *t*) nondum eſſet egreſſus. Et ſic occubuit phoſphorus ille JCtorum, HERM. VULTEJUS, magnus ingenio, major fortuna, virtute maximus, cujus obitum non Marburgenſis tantum Academia atque patria, ſed univerſa Germania acerbiſſimis lachrymis deploravit.

Corporis exuviæ *die V. Auguſti* hora II. pomeridiana in templo ædis Teutonicæ terræ, communi omnium matri, ſolemni pompa fuerunt

s) l. *pomeridianam*. Hinc corrigere poteris JUSTUM SINCERUM, *in vitis JCtorum* T. II. p. 68. qui ipſum *die* XXI. *Julii* obiiſſe ſcribit.

t) Neutiquam enim, ceu putat REIMANNUS in dem Verſuch einer Einleitung in die *Hiſtoriam Literariam* derer teutſchen *Tomo Ultimo p.* 523. anno ætatis XXXIV. fatis conceſſit.

runt traditæ. Concionem funebrem ex Apocalypsi cap. XIV. verf. 13. dixit JUSTUS FEURBORNIUS, *SS. Theologiæ Doctor ejusdemque Professor ordinarius*, elegantissimis epicediis inopinatum ejus obitum lugentibus, JUSTO SINOLDO, ANTONIO NESSENO, JUSTO FEURBORNIO, MENONE HANNEKENIO, JOANNE KORNMANNO, CONRADO BACHMANNO, MICHAELE OLAO WEXIONIO aliisque viris, multa eruditionis ac gloriæ fama conspicuis. Publici autem doloris interpretem egit GEORGIUS TULSNERUS, *Consiliarius Darmstadinus & Professor Giessensis*, qui anno demum MDCXLII. *die XXXI. Julii* exequias celebraturus Vulteji memoriam funebri oratione æternitati consecravit u). Vidua liberique mœstissimi in templo ædis Teutonicæ sequens monumentum poni curarunt: *Deo*

u) Scribo hæc fide WINCKELMANNI *in epistola dedicatoria Jurisprudentiæ Rom. præmissa*, cum hanc orationem videre nunquam contigerit.

DeoTerOpt.Max. Sacrum
Celeberrimus Jurisconsultus
HERMANNUS VULTEJUS
Justi Filius Wetteranus Hessus
Comes Palatinus Cæsareus
Patria Academia Et Judicii
Supremi Lumen Et Columen
Studium Labores Et Fidelitatem
Scriptis Suis Eruditiss.
BonisDoctisque Omnibus AbundeProbavit
Diversis Officiis Dexterrime Perfunctus
Professorio Annis LIII. Et XI. Mensibus
Primariatu Ann. XLIII. II. Mens.
Procancellariatu Ann. XXIX.
Et Adsess.MunusInSupr.Hass.DicastLII.a.
III. Mens. Gessit
Tandem Vero Ævi Satur
An.Chr. clↃIↃcXXXIV. *UltimaJuliiIngenti*
CumLuctu AcademiaEtCivitatisPie Ac Beate
Obiit AcTenueIlludQuodMortaleHabuitSub
Hoc Saxo ComponiVoluitUbi In Pace Quiescit
Vixit Omnibus Utilis Nemini Gravis
Annos LXXVIII. M. VII. D. VI. H. V.
Cui
Marito Parenti Socero Avo Desideratis.
Vidua Liberi Generi Nepotes Mæstis.
H. M. P. C.

D. VULTEJI Symbolum
Ex Psalmo 128. v. 6.
Dominus mecum, non timebo: quid faciat mihi homo?

Quod si jam de Vulteji moribus dicere quid attinet, ab omni adulationis suspicione erimus immunes, si quidem adfirmaverimus, vitam ejus tot virtutibus fuisse ornatam, ut singulæ vix enumerari, ne dum exornari pro dignitate satis possint. Pietatem non turpi quorundam nostræ ætatis politicorum more simulavit, sed sincere coluit; ceu vel ex eo constare poterit, quod non singularum tantum concionum devotum se atque attentum præbuerit auditorem, sed in ardentissimas etiam preces privatim semper incubuerit w). Hinc spem omnem ac fiduciam

w) Testatur id ipsum elegantissimum carmen, quod in precationum libro ipsius manu annotatum, liberi post obitum invenerunt. Dignum id judicamus, quod hic legatur, cum præstantissimum infucatæ pietatis testimonium præbeat:

Sat est amicis, sat patriæ datum
Meisque Natis, tandem aliquid meæ
Concedo vitæ, & diu cupitam
Emeritus requiem requiro.

ciam in Deum collocavit, & *Sym-*

boli

Equus laborum pondere debilis
Dulces in agros mittitur, & latus
Ephippiis duris perustum
Herbifero recreat cubili.

Me pulsat atas deterior senem
Fugit juventus & decor, arida
Monente nunc instare lethum
Canitie, tremuloque gressu.

Suspendo scutum miles in exulo
Sat militavi, nunc bene transfuga
Perenne mundi linquo bellum
Pacem animo superum requirens.

Hunc ter beatum jure vocavero
Quisquis, prius quam mors gravis incubat
Consummat avum & sic quietus,
Quod reliquum fuerit, moratur.

Hic usque latus atque potens sui
Degens inanes sollicitudines
Mortalium ridet, suaque
Perpetuo requie potitus.

Hoc improbandum vita habet undique
Perfecta nunquam quod sit, at in dies
Procrastinetur, donec ipsam
Cedere mors violenta cogat.

Tum

boli loco dictum illud Psal. CXXVIII. vers. 6. sibi elegit: *Dominus mecum, non timebo: quid faciat mihi homo?* Reformatæ, ut vocant, religionis principiis, quæ a prima juventute imbiberat, ad extremum usque vitæ halitum tenacissime inhæsit, ita tamen adversus eos, qui diversa sentiebant, egit, ut ejus moderationem ipsi etiam adversarii admirarentur *x*). Erga pauperes eum se præstitit, qualem disciplinæ Christi alumnum decet, eorumque necessitatibus larga semper manu subvenit. Justitiam sancte & incorrupte administravit, unde etiam extra Imperii pomœria de rebus arduis & intricatissimis responsum ferre sæpius fuit sollicitatus. Quam-

Tum quisque tandem vivere cogitat:
Exactor instat. Sed miseri nimis
Quicunque tum demum auspicantur
Vivere cum bene desinendum est.

x) Vide, quæ hanc in rem tradit LEONHARTUS HUTTERUS *in concordia discord. cap.* LVIII. *p.* 1458.

Quamvis autem hac ſua eruditione ac prudentia magnam nominis famam ubicunque locorum fuiſſet conſecutus, ab omni tamen faſtu & oſtentatione ita fuit alienus, ut præſtantiſſima ſummorum virorum elogia modeſte ſemper detrectaret, eumque ſe haudquaquam agnoſceret, quem alii tantopere admirarentur *y*). Aliorum ſcripta magni ſemper æſtimavit, de ſuis vero tam modeſte ſenſit, ut ea vix publicæ

N lucis

y) Teſtem hac de re produco JO. BALTH. SCHUPPIUM in der abgenöthigten Ehrenrettung *p. 627. Opp.* qui de ejus modeſtia ſequentia refert. Hermann Vultejus, der vortreffliche Heßiſche Juriſt, ſagte einsmahls in einer Gaſterey zum Vice-Cancellario Neſſeno: Herr Gevatter! die Leute meynen ich könne etwas ſonderliches; ich kan *latein*, und kan *generalia appliciren ſpecialibus*, das iſt alle meine Kunſt. Ich hörete dieſe Worte/ und dachte bey mir ſelbſt: Du großer Mann/ das iſt eine große Kunſt! Wie manche

lucis usura digna judicaret z). Con-

silii

che Theologische und Philosophische Schrifft habe ich gelesen / den Kopff geschüttelt und gedacht: Aut Plato Philonizat, aut Philo Platonizat. Intelligenti pauca.

z) Sic enim *in dedicatione Disceptationum Juris Scholastic.* loquitur: *Avocabat me natura ingenii mei, quod a scripturientium illorum, qui quidvis, quod chartis illinunt, venditant, more semper quamplurimum abhorruit: quod timorine alicui, an vero* εὐηθείᾳ *cuidam mea adscribendum sit, illi viderint, qui nescio quid mihi tribuunt, verum in edendis meis nimis me esse meticulosum affirmant. Utinam vero quidam, qui hac aetate tam erudita cogitationes suas nimis temere, ne dicam ambitiose, in publicum prodire faciunt, idem mecum sentirent: librorum fortasse esset minus, in quos juris studiosi non raro, magna cum studiorum suorum jactura, distrahuntur imprudentes. - Sane a me quod proficiscitur, quidquid illud sit, tanti mihi non est, nec tanti illud facio, ut quidquid sentiant alii dignum esse existimem, lucem aspi-*

cis

filii, quod ſemel probaverat, omnino tenacem ſeſe præbuit, & usque adeo induratum laboribus, ut fatigari non poſſe videretur. Quemadmodum vero natura ipſa, cenſente PANEGYRISTE *ad Conſtantinum M.* magnis mentibus domicilia corporum digna ſolet metari, & ex vultu hominis, ac decore membrorum colligi poteſt, quantus illo cœleſtis ſpiritus intraverit habitator; ita famam, quam alias præſentia ſolet minuere, non parum augebat Vulteji aſpectus, qui cunctos ad ejus amorem ac venerationem illico alliciebat. Fuit ſtatura mediocri, corpore ſat compacto, firmis lateribus, habitu corporis gravi & decoro, acie oculorum vegeta, facie

ciat. Sunt enim accuratiſſimi JC*torum commentarii - - ut in hiſce rivulis, inde deductis, tempus inutiliter conſumant.* Et in dedicatione *Jurisprudentiæ Romanæ* præmiſſa : *Didici enim ſcripta aliorum magni facere, de me autem meisque ſentire modeſte.*

valetudinis nuncia, quæ gratiam ac summam auctoritatem præ se ferebat. Accedebat actio nobilis, spiritus & animi plena, & vox simul grata & mascula atque sonora, quæ potentissima rationum momenta, quacunque de re dissereret, ex profundissimæ eruditionis abysso eruta, promptissima facundia provehens, & fulminis instar in aures ac animos auditorum penetrans, vi quadam inevitabili vel a reluctantibus assensum extorquebant. Unde sæpius illa studiosorum, qui eum ut patrem venerabantur, vox excepta est, se Vultejum tonantem auditum ire a).

Ut autem erat in eo promptissimum cunctos adjuvandi studium, ita Marburgensi inprimis Academiæ omnem operam a primis annis devovit, atque immotam & singularem fidem præstitit Principibus suis, quo-

a) Verba hæc sunt JO. HENRICI DAUBERI *in vita Vulteii* apud WITTENUM *in memoriis JCtorum nostri Seculi Decad.* II, *p.* 163.

quorum arcanis per dimidiam vitæ partem fuit admotus. Apud exteros etiam Reges & Principes tantam sibi conciliavit gratiam ac famam, ut *Daniæ Rex* Cancellariatus dignitatem, quamvis frustra, ipsi offerret: *Suecorum* vero *Monarcha* Consiliarium ad dirigendas res Germanicas oblato lautissimo stipendio renunciaret *b*). Reliquis Europæ Proceribus ad unum ferme omnibus dexterrimis consiliis fidem suam ac sapientiam abunde probavit.

Uxori liberisque indulgentissimum patremfamilias sese præbuit. In victu amictuque parcus erat & frugalis, ab omni profusione alienus; ita tamen, ut poscente necessitate contra decori regulas nunquam impingeret. Publicos privatosque labores indefatigata industria etiam senex continuabat, reliquum tempus legendis præstantissimis JCtorum

b) Teste PAULO FREHERO *in theatr. vir. illustr. p.* 1068.

ſcriptis impendebat, inprimis vero Italorum, quorum judicium & ingenii ſubtilitatem magni faciebat. Poeſi inſuper reliquisque humanioribus, ut vocant, ſtudiis delectabatur, & quamvis in enodandis juris Romani controverſiis præcipuam collocaret operam, reliquis tamen ſcientiis juſtum ſemper ſtatuebat pretium *c*). Quod a gravioribus nego-

c) Longe alia mens ipſi fuit quam iis, quos JOANNES CLERICUS *in Parrhaſianis T.* I. *p.* 245. falſe perſtringit, ſcribens: *Il y a des gens, qui croient, que pour faire eſtimer une profeſſion, il la faut louer exceſſivement, ſans faire de difficulté, d'abaiſſer toutes les autres en comparaiſon de celle, pour laquelle on veut inſpirer de l'eſtime. Ils ſont du gout de ſes predicateurs, qui elevent les Saints, qu'ils ont entrepris de louer le jour de leurs fêtes au deſſus de tous les autres. Cette maniere peut être bonne, pour ſurprendre le peuple pour un peu de tems: mais dans le fonds elle ne vaut rien, parce qu'elle ne manque jamais de choquer les perſones raiſon-*

negotiis vacabat tempus, amicorum consortio consecrabat, ex quorum numero inter collegas præcipue fuerunt RUDOLPHUS GOCLENIUS & CONRADUS BACHMANNUS, quos amore haud vulgari prosequebatur. Cum celeberrimis Europæ eruditis literarium commercium habuit: a quibus quanti fuerit æstimatus, spendidissima testantur judicia & elogia, quorum nonnulla, quæ mihi Doctorum illius, quo vixit, ævi scripta pervolutanti sese obtulerunt, hic legere non pœnitebit. Sic JO. PETRUS LOTICHIUS *Rer. Germanic. Libr. XVI. cap. 1. fol. 236*: Secundum, ait, nobilissimi Suecorum Regis Gustavi exequias, præstantissimo Germaniæ Jureconsulto, Hermanno Vultejo justa faciemus. Decessit autem apud Marburgum pridie Cal. Sextil hoc a. MDCXXXIV.

sonnables, qui veulent, qu' on estime chaque chose ce qu' elle vaut; & qui se fachent, lors qu' elles s' apercoivent, qu' on les a trompeés.

laudis, honoris, vitæque caducæ satur, cum annos ætatis complevisset septuaginta octo, menses septem. Fuit dum viveret vir pietate, virtute, eruditione, humanitate, variarum rerum experientia, scriptisque editis hoc seculo, & quod excurrit, incomparabilis, JCtorum sui temporis eminentissimus, Hessiæ, imo Germaniæ verum lumen, Academiæ, patriæ magnus Antecessor. De cujus non tam in jurisprudentiam, quam cæteras disciplinas humaniores præclaris meritis, satis dici in compendio vix potest. IDEM *in præfat. Biblioth. poetic. P. IV.* Nostro hoc seculo magnus ille JCtorum phosphorus Herm. Vultejus, vir præter gravissima in jurisprudentiam merita, vel duntaxat ob eximium in Musas communes atque carmina amorem, sibi ex parente Justo illo Vultejo, poeta disertissimo, etiam hæreditarium, omni seculo admirandus. JULIUS PACIUS *in præfatione methodicorum:* Herm. Vultejus excellenti ingenio & soli-

ſolida doctrina præditus, & ut uno verbo dicam, verus JCtus, ut ex doctiſſimis ejus commentariis & diſceptationibus juris omnibus conſtat. IDEM *in præfat. libr. de methodo:* Nominatim excepi atque commendavi Vulteji doctiſſimi & politiſſimi JCti methodum in Romana Jurisprudentia expreſſam. Et *in fine ejusd. præfat*: Puram jurisprudentiam illuſtrare perge, ut habeat Gallia quemadmodum Vultejum Germania quem admiretur, & ex quo diſcat falſum eſſe, quod vulgo a barbaris jactatur, nec elegantem JCtum praxin callere, nec pragmaticos theoria juris egere. IDEM *in præf. ſynopſeos*: Sed multo felicius ejus rei ſpecimen edidit Vultejus in ſua juris idea. ANTONIUS FABER *19. Conject. 20.* Herm. Vultejus JCtus clariſſimus & magni inter Germanos nominis. IDEM *20. conject. 13.* Vultejus vir doctiſſimus & ſuaviſſimus. CAROLUS a KIRCHBERG *in diſcurſu de pacto & prov. cap. 3. nr. 42.* Herm. Vultejus celebris

JCtus Germaniæ. VOLCMAR *in synopsi de jure princip. cap. 6.* Herm. Vultejus JCtus inter magnos eximius. IDEM *cap. 8.* Vultejus JCtus clarissimus & optime meritus. IDEM *in introduct. ad jurisprudentiam p. 202.* A Donello ingeniosissimo ad D. Vultejum JCtum non minoris acuminis & judicii pedem fero. OTTO MELANDER *in controv. jur. feudal. discurs. I. in fin.* Herm. Vultejus JCtus præstantissimus & disertissimus, præceptor meus. IDEM *disc. III.* Vultejus acutissimi ingenii JCtus. JUSTUS MEIERUS *in præfat. pandect. universi jur. civil.* Sunt alii, qui compendio illam tam satis diffusam comprehendunt, inter quos Dn. Vulteji duo libelli elegantissimi facile excellunt. PETRUS GILCKEN *de rei vindic. c. 7. nr. 35.* Vultejus vir ingenii & eruditionis laude inter Germanos Professores haud quaquam fraudandus. GEORGIUS BERNHARD *in florileg. quæst. III. nr. 5.* Vultejus vir omni veneratione dignus. ANTONIUS

NIUS HERING *de fidejuss. 27. nr. 90.* Vultejus JCtus Germaniæ eximius. JEREMIAS SETSERUS *de jurejurando nr. 33.* Nam in his verbis, quomodo & quantum inter actiones arbitrarias & actiones bonæ fidei differentiam positam rectissime dicitur, quod cum interpretes non animadvertissent in infinitos errores delapsi sunt, quemadmodum præ cæteris eruditissime probat ingeniosissimus JCtus Vultejus in l. unica nr. 17. & seq. C. ubi conventio. JOANNES HESSUS *in cynosura juris f. 1.* Cl. Vultejus acumine mentis nemini secundus, cujus auctoritatem ut calculum Jovis pendo. ANTONIUS MATTHÆUS *fundam. juris Disput. VIII. thes. 14.* Merito laudamus celeberrimum nostrum JCtum Herm. Vultejum. IDEM *in notis ad Institut. jur. in princip. L. II.* Acutus & facundus JCtus Germaniæ Herm. Vultejus, præceptor meus venerandus. IDEM *ad §. constat jus tit. de jure nat. gent.* Vultejus præstantissimus nostri

tem-

temporis JCtus. JO. CITODIN *de Geneve fol. 43.* Duquel auditeur a Geneve fut Herm. Vultejus, grand Jurisconsulte au païs du Landgraff de Hesse. JOANNES CALVINUS *in processſ. judic. c. 9. p. 158. & 532.* Acutissimus & accuratissimus Vultejus. HENRICUS BOCERUS *de investit cap. V. nr. 66.* Herm. Vultejus de jurisprudentia præclare meritus. IDEM *de fructibus rei alienæ nr. 70. pag. 211.* Ipse autem Vultejus, vir scientissimus & præclare de juris studio meritus. ANDREAS KNICHEN *de vest. paction. 3. nr. 207.* Vultejus judicium satis acutum depromit. ANTONIUS BULLÆUS *in præf. Responſ. except. binarum.* Dn. Herm. Vultejus JCtus non incelebris, sed super æthera notissimus.

Neque defuerunt illo ævo poetæ, qui immortales Vulteji virtutes dignis elogiis posteritati commendarunt. Ex immuneris aliis trium imprimis præstantissimorum virorum fœtus dignos judicavi, quos ab obli-

vi-

vione vindicarem. Primus auctorem agnoſcit JOANNEM THEODORUM SPRENGERUM, qui elogiorum tanti viri ſummam tribus his elegiis haud infeliciter complexus eſt:

I.

Deſine Roma tuos legum jactare peritos,
Deſine, Vultejum Teutona terra ſtupet.
Heſſia tota tuos nunc ridet Ibere labores,
Heſſia tam claro nobilitata viro.
Omnibus hic metam poſuit, qui publica produnt.
Scripta, vel ingenii qui meditantur opus.
Quod diverſa tenent alii, congeſta tenebat,
Nullus Vultejum qui ſuperabit, erit.
Quid loquor ingenium tot ſcripta recuſa docebunt.
Illa, quod hæc ætas jam veneratur, habent.
Judicium canos vicit felicius annos,
Et mox judicio gloria major erit.
Vultejo meritos tribuat nunc Roma honores,
Vulteji cineres ſecula noſtra colant.

II.

II.

Ha! que ce bel esprit
A fait de merveilles
De parole & d' écrit
Qui sont non pareilles.
Ce siecle prend la gloire
Avec tant de bonheur
De ce docte labeur
Digne de belle memoire.
Chacum Te louera
Grand oracle du droit,
Chacun approuvera
Cet illustre exploit.
Le commun & la Noblesse
Te donne pour echange
Une haute louange
Venant de votre sagesse.
Vulté comme un flambeau
Tire de son ouvrage
Un grand avantage
Dans son triste tombeau.

III.

Si Virgilio havesse visto
Quel sole della prudenza
Quel fior del eloquenza
Havria l' un stil con l' altro misto.

Febo

Febo gia ha sovente plorato
La morte di questo gentile,
Qui ha lasciato la vita vile
Per esser tanto piu cantato.
Glorioso Vultejo in cui s' appogia
La virtu, che Roma adora,
Del quale le lodi ognora
Crescon per un' eloquente pioggia.

JOANNES PETRUS LOTICHIUS in ejus laudem sequentem in modum cecinit:

Vultejus toto, ceu Scævola magnus, in orbe
Eminet, haud Baldo, vel Labeone, minor.
Cujus ut extremas volitavit fama per oras,
Regibus in pretio Cæsaribusque fuit.
Hassia de tanto cur non sibi plaudat alumno?
Quem Fora pro meritis, quem coluere Scholæ.

II.

Vultejus toto celeberrimus audit in orbe,
Balde tibi similis, Bartole sive tibi.
Quis multas memorare viri queat ordine dotes?
Ante fuit Reges clarus & ante Duces.

Denique

Denique HERM. KIRCHNERUS amorem venerationemque suam testatus est hoc epigrammate:

Hermannus Vultejus, Vetteranus.

Per anagrammatismum.

En tu sat unus hujus terræ lumen.

Qualis præ reliquis solus sol eminet astris,
Effundens roseum luce potente diem.
Rebus quemq; suis depulsa nocte colorem
Reddit, & est unus, qua patet unda, satis:
Tu, Vulteje, facem non fers per jura minorem,
Unus & es juris, qua patet unda, satis.
Hassica Nasicam merito te terra vocabit,
Omnibus in caussis tu caput arxque viges.
Nomen ab urbe tua generi restare Quirina,
Sed magis ingenii semina credo tui.

Ut autem apparere possit, quos & quotnam ingenii felicissimi fœtus VULTEJUS publicæ luci exposuerit, non ingratum Lectori futurum putamus, si integrum illorum catalogum huc apposuerimus. Quanto autem plausu scripta ejus ab eruditis, fue-

fuerunt excepta, tot iteratæ ſtantur editiones, ex quibus eas, quas propriis oculis uſurpavimus, juſto ordine recenſebimus. Primus igitur liber omnium, quos edidit, eſt:

Idea Juris Logica II. De cauſis juris conſtituentibus III. Expoſitio XIV. poſteriorum titul. L. II. Inſtitut. Francofurti 1586. in 8vo.

Inſcio auctore hi libelli prodierunt, ceu *ex dedicatione* FRIDERICI SYLBURGII abunde patet. Ita enim Vultejum alloquitur: *Cui dono lepidum novum libellum ſtanneis calamis modo exaratum? Vultei tibi. Namque Te parente primum progenitus, tuoque ab ore exceptus juvenum manu expedita, per doctasque aliquot ſcholas vagatus, doctis judiciis placere cœpit. Libet enim his verſiculis, ſi non venam, at numeros ſaltem Catullianos referentibus animum tuum demulcere, atque indignationem, ſi forte hac facti audacia offendaris, mitigare. Nam procul dubio mihi ſuccenſebis; qui cum familiaris Tibi ſim, & exiguo locorum ſpatio a Te ſemotus, Te inconſulto*

O ſulto

sulto tractatus hosce tuos in lucem edere non sim veritus. Causari enim potes, si edere fuisset animus, te vel auctiora vel cultiora in publicum emissurum fuisse, ac studiosorum desiderio satisfacturum cummulatius. - - Venit nuper in manus meas Commentarius quidam in Institutiones juris, *qui a te in illustri Academia vestra, primis professionis tuæ annis auditoribus propositus dicebatur. Et* προλεγομένων *loco præmissa erat quædam* Juris Romani conformitas. *secundum quam tu juris artem, omni ex parte confusam imo vere nullam, disponi posse judicares. Quem cum a multis ejus disciplinæ studiosis expeti audirem, exploratoque doctorum & intelligentium virorum judicio, multum luminis intricato ac difficili artis studio allaturum cognoscerem, aliquoties pro veteris amicitiæ jure ad te ea de re perscribere cogitabam, ut si non integri ejus commentarii, saltem conformationis illius publicandæ potestatem nobis faceres. Sed ne quidquam ista de re ad te scripserim id unicum impedivit, quod nossem,* quam

quam ab omni ambitione alienus esses, atque aliquoties ex te cognovissem, difficilli mum esse in omni scientiarum genere, præsertim jurisprudentia, hoc tam erudito seculo aliquid in medium proferre, adeoque metuebam, ne, si quid hac de re tibi significassem, istud conformationis edendæ consilium prorsus everteres. Ægre tulit hanc editionem Vultejus ipso inconsulto factam, cum nonnulla irrepserint contra mentem ipsius, ceu in proprio, quod perlustravimus, exemplari observavimus. Titulo *Idea Methodi Juris Civilis Justinianei* adscripserat: *ab Hermanno Vultejo JCto auditoribus suis sub initium anni MDLXXXII.* προλεγομένων *loco proposita, cum aggressurus esset interpretationem Instit. Jur. D. Justiniani. pag. 10.* a verbis: *Hujus æquitatis inveniendæ* usque ad p. 11. *redactum est* deleverat. Præterea pag. 18. *unde* usque *intelligendum est.* p. 24. *atque eo interpretibus* usque ad p. 25. *in quo jus personarum spectetur.* p. 36. *si enim jus sustuleris* usque *dominii acquirendi.* p. 43. *vulgo Actionis* usque

nos vocamus judicia. p. 46. *Nam quod Justinianus - - , intelligendum est.* p. 47. *Quamvis autem - - posse arbitror.* hæc omnia propria auctoris manu fuerunt deleta. Quidquid vero hoc sit, negari tamen non potest, quin hæc prolegomena præclara multa moneant, censente STRUVIO *biblioth. juris p. 301.*

II. Disceptationum scholasticarum Juris Liber unus. Marburgi 1588. editio II. *ibid. 1594.* edit. IV. *1608. ibid. in 8vo.*

Varias in hoc libro juris controversias ingeniose ventilavit, unde ab HENRICO BOCERO *de fructib. rei alienæ nr. 70. p. 211.* elegans & eruditus libellus merito appellatur.

III. Jurisprudentiæ Romanæ a Justiniano compositæ Libri II. Marburgi 1590. editio II. *ibid. 1594.* edit. III. *ibid. 1598.* editio IV. *Francofurti 1599.* editio VI. *Marburgi 1610. ibid. 1618. ibid. 1628.* & tandem cura JO. JUSTI WINCKELMANNI *Hanoviæ 1652. in 8vo.*

Ex

Ex crebris his editionibus facile est judicatu, qualem quantumque applausum hoc opusculum ab eruditis promeruerit. HIERONYMUS TREUTLERUS, magni nominis JCtus, *commentarium judiciarium sive notam practicam in Librum II. Jurisprudentiæ* hujus conscripsit, *& Hanoviæ 1652.* publicavit. JOANNES ARNOLDUS CORVINUS *jurisprudentiam contractam Vulteji Amstelodami 1665.* edidit in 12. alii aliis modis eam illustrarunt.

IV. De feudis eorundemque jure Libri duo. Marburgi 1595. ibid. 1602. ibid. 1617. Francofurti 1629.

De præstantia hujus libelli non est, ut multa commemorem. Instar omnium erit judicium ERICI MAURITII *in nomenclat. feudal.* ita sentientis: *In libris feudal. Vulteji judicium, industria, eruditio & omnia eximia sunt, quæ causa, quare in Camera præcipua ejus sententiæ habetur ratio, neque dubitem inter practicos primum illi locum tribuere.*

 V. Com-

V. Commentarius in Institutiones Juris civilis a Justiniano compositas. Marburgi 1598. edit.II.*ibid. 1600.* edit. IV. *ibid. 1613. in 4to.*

VI. Commentarius ad titulum Codicis de jurisdictione & foro competente. Francofurti 1599. ibid. 1625.

VII. Consiliorum & Responsorum Doctorum & Professorum Facultatis Juridicæ in Academia Marburgensi. Marburgi 1606. T. IV. in fol.

Utilitatem & præstantiam hujus operis commendare velle tanto magis superfluum duco, quod ab omnibus verus Jurisprudentiæ Romanæ thesaurus habeatur. Responsa, quæ Vultejum auctorem agnoscunt, sunt. T. I. Consilium XV. XVI. XVII. XVIII. XIX. XXII. XIII. XIX. XXX. XXXIII. XXIV. Tom. II. Consilium XXIV. XXV. XXIX. XXX. Tom. III. Consilium XVII. XVIII. XIX. XX. XXI. XII. XIII. XIX. XXX. XXI. XXIV. & XXXV. Alia demum hujus operis editio prodiit *Francofurti* 1652. Tom. II. & III. 1653. & T. IV. 1631.

VIII.

VIII. Oratio funebris LUDOVICO Seniori, *Hassiæ Principi*, dicta, quæ inter HERMANNI KIRCHNERI *orationes* excusa prodiit.

IX. Tractatus de judiciis in Libros IV. divisus, opus posthumum a filio JOANNE VULTEJO *editum Cassellis 1654. in 4to.*

Præterea inter scripta Vulteji PAULUS FREHERUS etiam refert *orationem de vita & morte* GUILIELMI, *Hassiæ Landgravii, Marburgi 1592.* & *Commentarium in Guerrinum Pisonem de feudis Wittembergæ 1598.* edita, quæ tamen videre nunquam contigit. Neque dubium est, quin plura ingenii felicissimi monumenta fuisset emissurus, nisi concatenati labores omne propemodum tempus surripuissent.

Restat nunc nihil, quam ut nonnulla de ejus matrimonio liberisque adhuc tradamus. Ex unica conjuge EULALIA ADELHEIDE HAPPELIA, quam, ut supra monuimus, Anno MDLXXXI. felici sidere sibi de-

desponsaverat, fœcundum ipsi obtigit matrimonium, ex eaque tredecim liberos non sine gaudio suscepit. Sex filios filiasque duas vivus adhuc extulit; quinque non sine mœrore superstites reliquit, qui partam magni patris gloriam propriis facinoribus longe reddiderunt illustriorem. Inter eos primus fuit

JOANNES, magnæ eruditionis, & majoris spei juvenis, quem Anno MDCIV. die VIII. Julii, cum nondum ætatis annum vigesimum secundum esset egressus, fata non sine tenerrimo patris dolore abstulerunt *d*).

II. HELMRICUS anno MDCIX. die XIII. Septembris demortuus, ætatis XIII. an. X. dier. & XV. horar. *e*)

III.

d) Confer HERMANNI KIRCHNERI orat. consolat. cit. JOANNIS WINCKELMANNI *concion. funebrem* RAPHALIS EGLINI ICONII *carmen* Justi Vulteji *carmin.* præfixum.

e) HERMANNUS KIRCHNERUS l. c.

III. JOANNES HERMANNUS

IV. HERMANNUS LUDOVICUS, qui in prima juventute terrenis valedixerunt *f*).

V. JUSTUS GERHARDUS, una cum fratre Jo. Christophoro anno MDCXV. die XVIII. Aprilis Rectore THEOD. VIETORE in Pædagogium Marburgense fuit receptus, sed paulo post fatis concessit *g*).

VI. JOANNES CHRISTOPHORUS, qui a prima juventute optimis præceptoribus traditus egregios in literarum studiis fecit progressus. Ad lectiones deinde publicas Marburgi admissus Jurisprudentiæ studio indefessa opera incubuit, positisque rite fundamentis Galliam Italiamque omnem peragravit. Domum redux & a Serenissimo Hassiæ Landgravio *Consiliarius Regiminis* recuncitatus ANNAM AGNETAM, anti-

f) ICONII carmen l. c. HERMANNUS KIRCHNERUS l. c.

g) *Annales Acad. Marburg. MSS.*

quæ & nobilis prosapiæ viri, LUDOVICI HEISTERMANNI, *Burgmanni Friteslariensis*, filiam sibi conjugem elegit. Verum, quod dolendum, in ipso ætatis flore una cum conjuge carissima extinctus filiam filiumque unicum superstitem reliquit *h*), qui florentissimæ *Lineæ Marburgensis*, quam *Tabula II.* exhibemus, sator extitit. Liberi mœstissimi ejus memoriæ Marburgi in ecclesia Lutheranorum sequens posuere monumentum:

Immortali Et Mortalibus
JO. CHRISTOPH. VULTEJO
Consiliario Hassiaco
Hermanni Vulteji
Jurisconsulti Fama Noti
Inclytæ Academiæ Procancellarii
Et Provincialis Curiæ Assessoris
Veterani
Non Degeneri Filio

Et

h) Ut inde erret PAULUS FREHERUS *in theatro vir. illustr. p.* 1068. qui eum *cælibem* obiisse credit.

Et

ANNÆ AGNETÆ

Ex Antiqua Et Nobili

HEISTERMANNORUM

Familia Natæ

Ejusdem Et Thori Et Tumuli Sociis

Parentibus Desideratissimis

Obitu Suo Ante Diem Functis

Hunc Memoriæ Cippum.

D. D. D.

Superstes

Filius Et Filia

MDCXL.

VII. JOANNES natus Marburgi die VI. Januarii anno MDCV. patrinam habuit sororem natu majorem, quæ in memoriam paulo ante demortui fratris ipsi hoc nomen imposuit. Hic positis rite in humanioribus & jure fundamentis a parentibus Anno MDCXXII. *Lugdunum Batavorum* missus fuit, ubi publice ac privatim juris studio operam navavit. Anno MDCXXIV. in Angliam abiit, *Londinum*, *Oxonium* & *Cantabri-*

23 Sept. inscr.

brigiam perlustravit. Inde *Parisios*, *Andegavum* atque *Genevam* excurrit, ut Italicam Gallicamque linguam sibi redderet familiarissimam. Reversus per *Helvetiam* & *Argentoratum* Marburgi studia recoluit, atque anno MDCXXX *Juris Utriusque Doctor* ibidem renunciatus est. Post hæc *Spiræ* in camera vixit, cum exorto bello ab ulterioribus itineribus impediretur. Vocatus a PHILIPPO RHEINHARDO, *Comite Solmensi*, ad castra Suecia cum eo *Consiliarius* abiit, & *Comiti* OXENSTIERNÆ acceptissimus, ad Suecica servitia vocabatur, quæ non detrectasset, nisi infelix ad Luzenam prælium hoc consilium dissipasset. Cassellas veniens a WILHELMO V. *Sanctior belli Consiliarius* renunciatur, ea conditione, ut in omnibus expeditionibus Serenissimum suum comitaretur. Fatis autem functo WILHELMO. V. ab AMALIA ELISABETHA in obsequiis retentus *Comitiis Ratisbonensibus* anno MDCXLI inter-

terfuit; imo ad *Tractatus Westphalicos* plena cum potestate missus quinquennium ibi fuit, & pacem perpetuamque quietem omni ope confirmavit. Redux *Cancellarii dignitate* exornatur Anno MDCLI. cum id aliquamdiu esset deprecatus. In testamento WILHELMI VI. *Consiliarius Regiminis Tutorii* fuit designatus; anno autem MDLXXXIV. die XIV. Augusti diem suum obiit, ab ipso Serenissimo CAROLO morituriens adhuc visitatus. Conjugem duxit Hanoviæ anno MDCXLIII. die XVI. Octobris ELISABETHAM, ex celebri ac nobilissima TOSSANORUM stirpe *i*) oriundam, ex qua decem liberos non sine gaudio suscepit. Quatuor vivis adhuc

i) Quæ sedem olim habuit iu finibus Lotharingiæ & Franciæ aca mplissima bona ibidem possedit. Exorto autem sæpius inter Reges Galliæ & Burgundiæ Duces bello varias calamitates experta est, unde FRIDERICUS, *Comes Palatinus ad Rhenum & Elector*, Imperii tunc temporis Vicarius, PAULO TOS-

adhuc parentibus diem suum obierunt: quatuor filias filiosque duos reliquit superstites, qui *Lineam Cassellanam*, quam *Tab. III.* sistimus, felicissime propagarunt.

VIII.

TOSSANO, *SS. Theologiæ Doctori & Consiliario Ecclesiastico Heidelbergensi*, anno MDCIX. ob merita proavorum Equestrem Dignitatem clementissime renovavit. Ad majorem illustrationem sequens schema genealogicum adjiciemus:

N. Gohorus *Medecin du Roy.* — N. *Fille de Jaques de Chou, Advoc. general en la Cor des aydes a Paris.*

Petrus Tossanus — N.N. Philibert Couet *Maitre des requetes du l'hotel du Roy.* — Maria Gohorus.

Daniel Tossanus. — Maria Couet. — Briselançe. NN.

Paulus Tossanus — Esther Priselançe

Elisabetha Tossanin, *Maritus* Joannes Vultejus.

VIII. HERMANNUS ANDREAS mortuus anno MDCIX. die XII. Augusti ætatis ann. II. menſ. II. dier XIII. hor. XII. l. *k*)

IX. CATHARINA JUSTINA

X. CATHARINA in cunis defunctæ *l*).

XI. CHRISTINA anno MDCV. die XV. Aprilis nupta CHRISTOPHORO DEICHMANNO *J. U. D. & Pandectarum* tunc temporis *in Academia Marburgenſi Profeſſori*, poſt *Cancellario Lippiaco*, mox *Suecorum Regis Legato in Circulo Weſtphalico* & denique *Cancellario Megapolitano & Reſidenti Haſſiaco*, quindecim liberorum mater fœcundiſſima.

XII. BARBARA CATHARINA quæ maritum habuit HIERONYMUM COTTICHIUM, *J. U. D. & Conſiliarium Wiedenſem atque Saynenſem*

k) Carmen Vulteji carm. præfixum.

l) HERMANNUS KIRCHNERUS *l. c.*

ſem, mox *Commiſſarium Generalem Suecicum & Principis Auriaci Conſiliarium*, & cum eo liberos decem ſuſcepit.

XIII. ANNA MARIA in matrimonium data a. MDCXIII. die XXV. Octobris JOANNI PFREUNDIO, *J.U.D. Principi ac Abbatiſſæ Hervordienſi a Conſiliis & Direct. Cancellariæ*, quem quinque prolium patrem reddidit.

Et hi ſunt liberi HERM. VULTEJI, quorum inviolata fides & dexterrima conſilia ad conſervandam patriæ ſalutem haud parum profuerunt. De reliquis ejus poſteris dicere non attinet, cum præſtantiſſima illorum merita in recenti memoria apud omnes hæreant. Rogandus potius eſt Deus, ut Illuſtriſſimam VULTEJORUM Familiam impoſterum velit conſervare, & ſic nunquam deerunt viri, quorum ſinceram pietatem, eruditionem ſolidam, meritorum magnitudinem, & morum ſuavitatem futura ſecula admirabuntur.

APPEN-

g. 224.

E

L

& Pada
Familia

Catha
† 15 ... Au-
... dekers-
... ætat. 42.
E

... ina
... ANTRECHT
... iacus. † 1607.

Ioa ...
VULTEICH-
† 1604 ... ndect.
ætat. 2 ... af. post
menf. ... x Sue-
dier. ... II. Lega-
... is Me-
... assiac.

Catharina
† in cunis.

APPENDIX I.

JOANNIS ANTRECHTI,

JCti. & Cancellarii Hassiaci,

DE

VITA ET OBITU

JUSTI VULTEII,

In Academia Marburgensi Hebraicæ Linguæ Professoris Ordin. & Pædagogiarchæ,

ANNO MDLXXV.

ULTIMA MARTII DEFUNCTI

COMMENTATIO.



JO. ANTRECHTUS
HERMANNO VULTEJO,
Justi filio
Salutem.

QUi corporis fabricam membrorumque aptam inter se compositionem admirari, ut par est, solent, hi se ægerrime a speculo, cujus præsidio sibi pulcherrimorum quorumque faciem affingunt, divelli patiuntur. Animi facies tanto venustior, tanto præstantior est, quanto ipse animus præstantior corpore. En animi speculum; en præstantissimam animi paterni *faciem. Si pulchritudine ejus caperis: si huic quam simillimus evadere anhelas: utere, fruere hoc speculo & hanc pulcherrimam animi faciem Tibi affinge. Adolescens es: verum est, ætate: at scientia, senex. Quis*

enim ignorat , *Te* Professioni Græcæ & Latinæ Linguæ, *quas in hac Academia publice docuisti* , Hebraicam *adjicere potuisse? quod ergo in Parente virilis ætas præstabat, hoc in Te mature exhibet adolescentia. Attamen si pro tua egregia & præclara indole, qua præditus es, pulcherrimam animi Paterni faciem Tibi affinxeris: ut ego patri Tuo charissimo charus eram, sic Te mihi charissimum fore, persuasum habebis. Vale.*

JOAN-

JOANNIS ANTRECHTI,
VITA
JUSTI VULTEII.

Amisimus, *patres Academici*, superioribus diebus JUSTUM VULTEIUM, virum præstantem autoritate, prudentia singulari, & rara eruditione præditum: linguarum scientia instructissimum, theologum gravissimum, & alterum alterius hujus Academiæ alæ ducem. Ad cujus exequias cohonestandas cum me loci intercapedo venire prohibuerit, statui mœrorem & incredibilem animi mei dolorem, ex intempestiva tanti viri morte conceptum, in amplissimo vestro consessu queritari & lamentari, & hunc extremum honorem consecrare manibus ejus, qui mihi fuit præceptor observandissimus, collega suavissimus, omnium quæ domi & peregre tam publice quam privatim agebam,

 autor

autor & ſuaſor fideliſſimus. Quod ſi ego pro illius immortalibus meritis, quibus præterea innumeros omnium ordinum homines ſibi devinxit, mœrorem privatum, naufragium patriæ in illo viro perpesſum, nulla vocis ſignificatione, nullis ſuſpiriis & gemitibus, nullo denique planctu ſatis exprimere posſum: quæſo obteſtorque, ne meæ naturæ potius, quam magnitudini & amplitudini virtutum beneficiorumque ejus id tribuendum putetis. Quæ enim tanta poteſt exiſtere ingenii ubertas, quæ tam incredibilis dicendi facultas & copia, quod divinum & immortale orationis genus, quo quis mortalium poſſit hujus viri, qui veſtri ordinis fuit, *doctiſſimi viri*, beneficia in cives & exteros, non dicam complecti orando, ſed percenſere numerando? Puer æqualibus honeſtiſſima eruditionis ſuæ præmia præripiebat: adoleſcens tres Græcos autores in latinum converſos non ſine vulgari magnorum virorum

ırum admiratione in apertum re-
rebat: Juvenis magna cum laude
dum literarium Veteris aperiebat:
rili toga indutus alteri hujus Aca-
:miæ alæ laboranti succurrebat,
mque, vah quanta cum omnium
.miratione, restituebat. Hinc eum
:rorum antistites, mysteriorum
ıblici interpretes & doctores, con-
arii virorum principum, præce-
ɔris nomine dignabantur; hinc
m inscitiæ suæ profligatorem &
ıditionis suæ autorem laudabant.
quis fuit alter, qui non solum
ssiæ populo, sed & exteris tanta
e incultam adolescentiam sibi tra-
am Latino, Græco & Hebræo
omate perpolitam restituit? Qui
ıversum Hassiæ agrum tot eruditis
culis consitum nobis reliquit, Ec-
s fuit alter? Hunc patrem filii
ıhani altis singultibus & gemitibus
umerabilibus prosequuntur: hu-
viri naufragio patria lamenta-
: discipuli præceptoris sui vocem
u & ejulatu reposcunt, amici lu-

 gent.

gent. Quod si ego hujus rei insolentia orphanis congemiscam: si cives meos lamentando juvem: si studiosorum luctum augeam: amicorum vero innumerabiles lacrymas suspiciam: non mihi hoc in mentem venire putabitis, quæ vestra est æquitas, *patres Academici*, ut ego homuncio mihi hujus viri omni laude digni dotes, hoc horulæ curriculo percurrere sumam. Sed nimirum veniam dabitis pietati meæ, si præceptorem, si collegam, si amicum optimum & integerrimum mea lamentatione carere noluerim, acerbissimum vero dolorem communi & privata clade fluentem, & in intimis meis visceribus reptantem, gratissima ejus vitæ recordatione lenire aliqua ex parte voluerim. Quocirca, *viri omni doctrinarum genere cumulatissimi studiosi amantissimi*, si aures vestræ nullis dicendi delitiis obtusæ, si justis querelis non occlusæ, ea me, qua alios soletis benevolentia excipite, &

pauca

auca de VULTEIO noſtro vita
efuncto, cujus ſtudioſiſſimi eratis
vita, perorantem attendite. Na-
uræ ſequar veſtigia, & admirabilem
us vim & imperium in VULTEII
oſtri vita & morte, ne dicendo
mpus abſumam grata brevitate ex-
ediam. Quæ duo ſi docuero,
erorabo.

Fuit itaque VULTEIUS noſter
e antiquiſſima & optima VULTE-
ORUM familia. Natus in oppido
Vetter, non tam loci amplitudine,
uam fama doctiſſimorum virorum,
uos paucis ab hinc annis feliciter
inc inde diſſeminavit, celebri, patre
OHANNE VULTEIO cive Rei-
ub. amantiſſimo, matre vero
IECHTILDA, matrona honeſtiſſi-
na. Cum itaque vix e crepundiis
roſiluiſſet, relictisque cunis ſua
ponte ſe movere poſſet: traditus
uit pueritiæ diſciplinæ IOHANNIS
OENILII, viri optimi & omni lau-
e digni, ſub cujus auſpiciis prima
udimenta cum fratre IOHANNE

VULTEIO quondam ſenatorii ordinis viro hujus civitatis primario, jecit. Anno vero ſupra milleſimum, quingenteſimum, quadrageſimo primo cum peſtis occaſionem transferendi Pædagogii *Bidencapium* dediſſet, eo ſe amore literarum, etiam inſciis parentibus, confert. Aperuerat tum ludum literarium non incelebre *Dillenbergæ* in comitatu Illuſtrium & generoſorum Comitum Naſſauienſium IOHANNES PISTORIUS, quem & hodie ſuperſtitem eſſe reor, cum ANTONIO BURENSI. Quorum fama & induſtria invitati parentes filios ſuos IOHANNEM & JUSTUM VULTEIOS eo, ad incoata ſtudia continuanda & augmentanda mittunt, anno 1542. Inde auctiores facti & eleganter inſtituti, ad hanc noſtram Academiam ſe tranſportant, quam tum magna cum laude diligentia ſua juvabat M. CASPARUS RODOLPHI, cui privatim & publice uterque operam dabat, anno 1544. Cum ita medio-

mediocres progressus in studiis suis fecissent, & VULTEIUS noster publicum primæ laureæ testimonium ex hoc loco avidissime abstulisset: incredibili aliorum locorum & remotiorum regionum visendarum tenebatur cupiditate, nec quicquam sibi reliquum faciebat, cujus præsidio propositum suum provehi & maturari posse cogitabat. Redierat tum Veteras, relictis Galliæ & Celtarum finibus IOHANNES PINCIERUS, vita & doctrina verus verbi Dei apud Veteranos minister & patriæ suæ Theologus facile princeps, qui honestissimo adolescentum desiderio victus, autor erat parentibus amandandorum filiorum *Argentoratum*, celeberrimam Romani Imperii civitatem, ubi tum inter alios florebant duo præclara literarum lumina BUCERUS & IOHANNES STURMIUS. Cum itaque sic res eorum votis responderet, incredibile dictu est, quantopere dies noctesque studiis suis incumberent, in iisque

evol-

evolvendis desudarent, ut in præceptorum suorum animos cupidissime influerent, omniumque oculos cum admiratione non vulgari in se converterent. Siquidem tam felices studiorum suorũ senserant progressus, & tot doctissimorum virorum incorrupta & erudita suis vigiliis sibi concilaverant judicia, ut in publico examine, munera honestissima eruditionis suæ testimonia (quæ non exigua laus in schola *Argentinensi* censetur) præ cæteris condiscipulis auferrent. Erat hoc anno supra 1546. Anno vero sequente ingruente bello inter Carolum V. Imperatorem & protestantes: Vulteii abitum parabant invito Bucero & Sturmio. Quæ res tantopere cordi erat Bucero, ut IOHANNI PINCIERO scriptis significaret, quantopere sibi doleret, quod injuria istorum temporum tam præclara Vulteiorum ingenia e medio studiorum cursu revocarent. Itaque mense Iulio, ejusdem anni patria relicta *Erphordiam*

diam petunt, ubi ſtudia ita frige-
bant, ut mature ſe *Lipſiam* trans-
portarent liberaliter excepti a GOT-
FRIDO SIBOTHO *Battenbergenſe*
Rhetorices Profeſſore facundiſſimo.
Inde *Wittebergam* contendunt, ut
magnum illum PHILIPPUM ME-
LANTHONEM de gravibus & ar-
duis quæſtionibus, ut ſolebat, ac-
currate copioſeque diſſerentem au-
dirent. Cum vero fortiſſimus ille
heros Mauritius Dux Saxoniæ à Ca-
rolo Imperatore inſtigatus agrum
Wittebergicum conſcripto milite
invaderet & occuparet, ut præter
omnem omnium expectationem hæc
martis alea non ſolum Muſarum de-
licias variis fortunæ telis objiceret,
ſed & Germaniam germano, eo-
demque illuſtriſſ. & fortiſſ. ſanguine
oppugnaret, tandemque proh do-
lor, quatuor principum ſanguine
imbueret ac cruentaret, ut ſtudioſi
juvenes Witteberga fugientes & ob-
errantes in diverſas partes hinc in-
de diſtraherentur; *Tigurum*, qui eſt
prima

primarius Helvetiæ pagus, proficiscuntur. Inde IOHANNES *Halam* in convallibus Oeni se transportat; JUSTUS *Basileam* petit, suamque operam in ædibus MICONII concionatoris, IOHANNI OPORINO, optime de Republ. literaria merito, locat, vertendis nonnullis græcis scriptoribus ÆLIANO, HERACLIDE & POLYÆNO: quorum primum, tanquam studiorum suorum primitias, IOHANNI PINCIERO, alterum CHRISTIANO PINCIERO vitrico, viro consulari & ordinis sui ornamento: tertium *illustriss. nostris Principibus* GUILIELMO & LUDOVICO dedicavit. Cum hæc præclara & amplissima eruditionis documenta prodirent, annum agebat Vulteius noster decimum octavum. Ætas impar huic laborum moli. Quotusquisque reperitur, qui ita ætatem suam a teneris instituerit, qui tanta corporis animique contentione lubricam adolescentiam fixam tenuerit, varietatem-

tatemque rerum diversissimarum ita neglexerit: ut etiam confirmata corroborataque ætate peregrinando hos labores exantlare potuerit, quos tamen in illo fervens adolescentia, quæ vix ullis laboribus frangi, & a libidinum stimulis arceri potest, magna cum animi tum corporis patientia perfecit. At cum præterea ad ingenii excellentiam vehemens accederet studium & assidua in cognoscendis artibus & linguis exercitatio: tantam sibi gratiam apud omnium ordinum homines conciliabat, ut illius fama se Bucerorum & Sturmiorum animis non contineret, sed pernicibus alis ad exteros quoque volaret. Quæ faces a fama prælatæ, ardens VULTEII nostri studium, incredibile dictu est, quantopere incenderint, & ad majora capessenda inflammarint, ut nec sanctissimis hospitis sui MICONII sermocinationibus, nec magnis OPORINI promissis, nec rara civium benevolentia, nec jucunda loci amoenitate diuti-

us

us Basileæ subsisteret. Relicta ergo formosissima Basilea anno 1548. *Franckenfordiæ* in nundinis autumnalibus incidit in IOHANNEM PINCIERUM Socratem suum, cujus prudentissimis consiliis tam ampla studiorum suorum senserat incrementa, ut se hujus prudentia in obeundis remotioribus locis, & deligendis academiæ proceribus, magnopere oblectaret. Et cum ista præclara ingenii monumenta recens edita ætatem Vulteii multum superarent, quorum pulcritudine quam plurimos ad sui amorem & admirationem invitaverat: autor est illi PINCIERUS visendi *Regni Franciæ* tum florentissimi, ut multiplici rerum cognitione instructior, ætate gravior, consiliis promtior, experientia prudentior, consuetudine humanior reversus: patriam scientia augeret, gravitate honestaret, consilio & prudentia juvaret, humanitate ad parem ingenuitatem invitaret. γαλῆ σίαρ, Siquidem tantopere harum

harum virtutum illecebris capiebatur Vulteius, ut omnibus ſuperatis obſtaculis abitum Franckenfordia quam celerrime maturaret. Profectus itaque *Coloniam* & per *Brabantiam* & *Flandriam* itinere facto *Lutetiam Pariſiorum* venit, ubi cum LVDOVICO LAVATERO, *Tigurino*, gravi & magni nominis huius ætatis theologo amicitiam contraxit, quam uterque hactenus tam ſancte coluit, ſcriptisque conſervavit, ut Lavateri transmiſſæ literæ Vulteium noſtrum nulla ſalute hiſce nundinis Frankenfordenſibus impertire & oblectare potuerint. Lutetia relicta, per Heduorum & Celtarum fines redit, viſendi IOHANNIS CALVINI cauſa, cuius tum fama nominisque celebritas non ſolum Romanum Imperium, ſed univerſam Europam peragraverat. Inde *Lauſannam* petit civitatem equeſtrem, hic tamdiu ſubſiſtit, donec a parentibus, poſtquam iter ſuum emenſus eſſet, & votis Pincieri reſpondiſſet,

avocatus, in patriam redit. Reverſo parentes deſpondent matronam honeſtiſſimam, CATHARINAM FETTIAM, nunc ſecundo viduam, cum qua divinam benedictionem in tribus filiis & vnica filia ſuſceptis, opibusque accumulatis abunde ſenſit. Cum hac ratione Vulteium noſtrum patria poſtliminii jure recepiſſet, validoque vinculo conſtrinxiſſet: in hoc incumbebat, vt ei de aperiendo ludo literario, de cujus multiplici uſu cum multa auditione acceperat, non ita experta erat, perſuaderet. Vulteius, qui jam in aram patriæ revenerat, multisque nominibus ſe huic obſtrictum agnoſcens facile in memoriam redit divini edicti, vt ne talentum ſuum deföderet, ſed majori cum fœnore illud redderet: divinum mandatum religioſe adorat: patriæ paret: amicorum precibus cedit: ludum literarium magno cum applauſu aperit: Rhetoricam & Dialecticam a ſe conſcriptam fideliter tradit: trium lin-

linguarum cognitionem feliciter introducit: Hebræam docet Piucierus, ipſe Latina cum Græcis ita conjungit, vt diſcipuli ex illa ſchola prodeuntes græculi ſalutarentur. Hujus pulcerrimi facti cum ampliſſima extent documenta, parcam viventium verecundiæ, unumque vita defunctum apponam. Si enim nullum fœtum iſta ſchola præter unicum WIGANDVM ORTHIVM excluſiſſet, cujus fama & gloria lætari poſſet, cujus immaturus interitus & mors intempeſtiva, eheu! quantam ruinam in hac quoque ſchola traxit. Cujus divina vox in explicandis & enodandis ſacrorum myſteriorum difficultatibus, quoties ex hac cathedra, inſtar fulminis deſiluit: quoties hæc ſubſellia & parietes magnificas ejus dotes in graviſſimis quæſtionibus diſſolvendis & retexendis obſtupuerunt, vt mihi ejus viri mortem, cui me operam dediſſe nunquam pœnituit, nondum eluxiſſe videantur. Si hic ſolus, dico, elu-

do Vulteji Veteris aperto prodiisſet, an non hæc ſchola immortali gloriæ monumento digna? an non ab omni oblivione hominumque ſilentio liberaliter vindicanda? Quaſi non majora & graviora haberemus comperta, a quorum commemoratione temperare mihi malo, quam memoriam veſtram fideliſſimam harum rerum cuſtodem, refricare. Quid, quod M. ADAMVS VEGETIVS, *Heſſiæ Superioris Epiſcopus* vigilantiſſimus, Vulteium noſtrum nihil horum cogitantem ſolum dignum judicavit, quem Pinciero in munere concionatorio adjungeret. Cum vero ab eo expreſſam fidei ſuæ confeſſionem, ut par eſt, repeteret: atque Vulteius muneris hujus amplitudinem & dignitatem conſiderans, altius rimando & æquiore lance examinando nonnulla ſecum verſaret, quæ tum ſecus quam ante intelligere incipiebat, ingenueque omnia pro ſuo candore ad M. ADAMVM perſcriberet: diſplicuit

plicuit ejus sententia & insperata illa vocatio resedit, quam tamen dissimulationis integumentis, vt bona pars solet operire, involvere, ambiguoque & flexiloquo orationis stylo tegere, nec commodis suis, quod parum cordate ab eo factum fuisse dixisses, deésse potuisset. Vtinam vero hic candor & integritas tam altas in omnium mortalium corde radices egisset, vt neque terrore, nec vi, nec metu, nec minis, nec telis, nec ferro, nec igni, nec spe, nec promissis ab agnita semel veritate, ut Vulteius noster, ejusque, coram principibus professione absterrerentur. Ita maximis sæpe, splendidissimisque consuleretur familiis: ita natura earum caduca & ad ruinam plus æquo, proh dolor, propendens, non eblanditis suffragiorum susurris, sed æterna veritate fulciretur, ut nec principes, nec reges se tam temere ad impurissimi & petulantissimi hermaphroditi pedes abjicerent: nec omnis cincinnatus ga-

neo in ſupprimendo divino cultu non ſolum innumerabiles civium & paganorum lacrymas & gemitus, ſed & fortiſſimi equeſtris ordinis miſeras atque luctuoſas preces, obſecrationes, obteſtationes ſuperciliose magnoque cum faſtu repudiaret: non fictitiam religionem pro germano Dei cultu ſubſtitueret, non fidelibus miniſtris Satanæ flabella permutaret: ſeque cum ſuis in perpetuos & nunquam intermorituros cruciatus præcipitaret. Quæ perniciosiſſima adulandi cupiditas hoc callidiſſimo aucupio monſtroſis erroribus regum & principum animos faſcinat, perfundit & tandem conſtringit, ut Achab nolit audire Micham, ex cujus ſolius ore verum egrediebatur. (3. Reg. 22.) Sic ſpiritus mendacii & temulentiæ Pſeudoprophetarum animos, quorum Deus venter eſt, & culina religio influit, ut phrenetica quadam agitati intemperie, non ſolum principes ad pervertendam ſacram æternamque veritatem ſtimulent,

lent, ſed probum & contemtibilem Micham variis conviciorum generibus proſcindant, in odium adducant, aula regia expellant, carcere, exilio, proſcriptione, incendio mulctandum terra marique exterminandum putent, & Chriſtum ipſum quod dolendum, nefarie per illius latus figant. Ex quibus ſanguinariis ſententiis naſcuntur horrenda & crudeliſſima bella inteſtina, quibus ad omnia ſacra intercluditur aditus, non Propheticis & Apoſtolicis decretis, ſed flumine ſanguinis, ſtrangulationibus, furcis, etiam ipſorum principum cruore calentibus & fumantibus. Sic tandem ingemiſcentes in memoriam redimus Edictorum altiſſimi; ut majorem nos Deo, quam homini, hoc eſt, principi & regi obedientiam debere agnoſcamus. Sic hoc adulandi aucupio diſtracti, excarnificati, & impuriſſimæ cujusvis libidini proſtituti monſtra ejus execramur. Sic ſacroſancta & arcana Dei judicia non faſti-

 dire,

dere, ſed religioſe adorare aſſueſcimus & immerſi graviſſimis afflictionibus dicere cogimur: Iuſtus es Domine, & juſta judicia tua. Quocirca hæc urbanitas a multis invidioſe uſurpata, valde ſuſpecta erat Vulteio noſtro in theologica Republ. quia hominum placita divinis decretis anteponi, tyrannorum malitiam quæ ſuperiorum ferro, inferiorum precibus frangi debebat roborari, magiſtratui & ſubditis extremam perniciem inde creari, innumeris exemplis docebat. Cum itaque ingenuam fidei ſuæ expoſitionem, in hac vocatione minus ſibi fructuoſam eſſe perciperet, omnes ingenii nervos in academiola ſua inſtauranda, polienda, locupletanda & provehenda intendit, ut publicæ utilitatis amore, ſpreta corporis valetudine, ſcholam ſuam exteris, diligentia & induſtria tantopere commendaret, vt tum plurimi, cum & ego illi operam darem, relicta etiam hac academia teſte patria, ad

Vul-

Vulteium, tanquam ad alterum Platonem accurrerent. Vidisses barbatos homines, magna pondera pueris commisceri, ut harum rerum ignaro facile persuadere potuisses, parentes a filiis informari, & aptiores fingi. Cujus rei insolentia illustriss. & potentiss. princeps GVILIELMVS, quem hæc Academia summum studiorum Mœcenatem experta est, adductus, solenniter Vulteium scholæ hujus Pædagogiarcham vocavit. Factum hoc est, anno supra 1560. Vocatus difficilioribus conditionibus operam suam redimi: summam Pædagogii jurisdictionem libere sibi soli concedi: honestiori aliis qui ejusdem scholæ provisores extiterant & ampliori stipendio ornari volebat. Non ut hæc omnia ullam in eo arrogantiam, ullam in parendo morositatem, ullam effrenatam cupiditatem, aut ardentem auri sitim, (quæ ut homine literato indigna, ita ab illo alienissima fuisse, probe nostis) arguerent: sed ut Il-

lustriss. Principis animum a conce-
pta de se opinione, cui se imparem
esse firmiter statuebat, averteret. Ve-
rum frustra, siquidem ne litera qui-
dem in illis immutata fuit, quorum
præsidio se effecturum hæc maxime
cogitabat. Cum hac ratione clype-
um manibus suis extorqueri cerne-
ret, divinæque providentiæ poten-
tissimæ imperatricis suffragiis in hunc
amplissimum Professorum ordinem
se cooptari spectaret: castra Músa-
rum movet, academiolam suam Ve-
teranam ingeniorum præstantia re-
fertissimam magno cum civium mœ-
rore, huc transfert: habitoque di-
scipulorum, instar belli ducis, dele-
ctu, quosdam Pædagogicæ disciplì-
næ addicit, quosdam manumittit,
ordinem legendi immutat, super-
fluas lectiones amputat, graves au-
tores substituit: amplitudine præ-
miorum, suaque diligentia collegas
ad docendi alacritatem invitat, pro-
pullulantem socordiam primum *la-*
tenter & amice pungit, negligentiam
pigri-

pigritiam & inertiam paulo acerbius increpat: obſtinationi munere interdicit (ridiculum eſt enim, ut ait Seneca, ad legem bonum eſſe) & ita omnia ſine vi, ſine tumultu, ſine omni juſta reprehenſione coërcet, ut in ipſo muneris ſui ingreſſu tantam de ſe in provehenda patria doctrinæ & virtutis opinionem excitaret, ut illius fama jam altiſſimæ artes & Principum aulæ perſonarent. Nec patriam de illo concepta feſellit opinio. Ita enim agrum Pædagogicum erudivit, lolium evellit, ſpinas excidit, ſylveſtres arbores putavit, brutam naturam extraxit, ut pro dumeto & ſpineto amœniſſimum hortum nobili aromate plantatum, ingeniorumque varietate tanquam floſculis diſtinctum ad uberrimam patriæ meſſem reliquerit. Hæc illius in excolendis ingeniis felicitas eum principibus viris commendavit, clariſſimis adæquavit, ornatiſſimis antepoſuit, ut non immerito Illuſtriſſ. noſtri principes profeſſionem ſanctæ

lin-

linguæ a morte Clariss. viri D. HAPPELII, nemini præterquam illi, nihil minus cogitanti, deferendam & credendam censerent. Et cui alii obsecro? Cum huic sanctæ professioni vitæ sanctimonia, virtutis amor, humanitatis officia & pietatis ardentissimum studium abunde responderet. Quos vero hujus pietatis graviores appellem censores, præter eos, qui summam virtutis & religionis opinionem de se ipsi excitarunt. At hi omnes pietatis, humanitatis, patientiæ, modestiæ, & virtutis cujusvis exemplum Vulteium esse voluerunt. Non videbant purpuratum theologum: non illius unguentorum odor, non frons calamistri notata vestigiis eos in admirationem rapiebat, sed videbant virum & autoritate & vultu gravem, constantem, severum, qui ad immodicum luxum contremiscebat, honestum vestitum vero deamabat, in quo tamen eam mediocritatem observabat, ut amicis suis sæpe peccare videretur.

retur. Ita corpus curabat. Sed quod ingenii flumen nobis animi illius dotes & ornamenta tantum percensere posset numerando? Quis Apelles animi faciem pulcritudinemque & venustatem ejus suis coloribus pro dignitate depingere vel saltem adumbrare valeret? Absit ut quid alii detractum ipsi tribuam. Absit etiam vt Vulteium nostrum debita laude in hac dicendi provincia de illo suscepta defraudem. Ita tamen causam ejus agam, ut vel acerrimis ejus adversariis hanc vocem extorqueam, plura ad ejus gloriæ amplificationem pertinentia a me studio prætermissa, quam prolata esse. Non ergo jam principum conscendam aulas, ut evocem prudentissimos & gravissimos consiliarios, nec adducam ex provinciis Episcopos: nec cogam per Hessiam finitimasque provincias flamines: nec arcessam consules, virosque consulares: ut horum omninum amplitudine, dignitate & præstantia, quos Vul-

Vulteii ſchola, inſtar equi Trojani effudit, memorabiles & incredibiles ejus animi dotes magna cum admiratione oculis veſtris ſubjiciam. Sed oculos, ſi libet, *patres Academici*, ad aram vivo aromate opertam paululum dejicite: En recens ſeminarium Vulteii: en meſſem patriæ. En adoleſcentes, quibus lingua Hebræa facillima, Græca familiariſſima, Latina domeſtica. En ſeminarium Reipubl. literariæ ampliſſimum & uberrimum, quod Vulteius fidei ſuæ commiſſum, patriæ ſuæ dulciſſimæ, uxori liberisque cariſſimis, vobis, *patres Academici*, vobis, inquam, collegis ſuis obſervandiſſimis, vobis diſcipulis ſuis ſuaviſſimis valedicens, ſancte reſtituit. Redite ergo obſecro, *patres Academici*, ad inventarium, redite quæſo, inquirite, & diligenter, ut ſoletis, diſpicite, an tantus & tam pretioſus theſaurus fidei Vulteii noſtri commiſſus probe ſit reſtitutus, vel quid deſit aut ſuperſit. Si ſatisfa-

ctum

ctum fuerit, quis in eo quid amplius requiret? Si quid deerit, Vulteius noster reviviſcet, ſed quid dico reviviſcet? Imo revixit: ſi deſunt Hebræa, ſolvet: ſi Græca, repreſentabit: ſi Latina, addet. Quod ſi vero pro anguſtiis ampliſſimas poſſidetis facultates: ſi pro inopia, copiam: pro egeſtate & indigentia, abundantiam & ingeniorum ubertatem recepiſtis: nolite committere, *patres Academici*, nolite, inquam, quæ veſtra eſt religio, quin Vulteiorum nomen ampliſſimis memoriæ monumentis conſecretis: quin liberis ejus orphanis beneficia in patriam collata majori cum fœnore, quanto vos omnes uno majores eſtis, ut eum feciſſe fatemini, reddatis: Vulteium in Vulteiis deametis: judicium illius, quod graviſſimum eſſe noſtis, non temere reſcindatis, diſciplinam ab eo inſtitutam tam ſancte & ſevere conſervetis, quam religioſe ego vobis confirmare poſſum, hanc diſciplinam non

non postremam hujus amplissimæ Pædagogicæ hæreditatis causam fuisse. Habet enim Germania præclara & eximia ingenia, & tanto majora cæteris omnibus nationibus (magnum hoc est, sed verissimum) tanto majora, dico nisi effecta non arguant suas causas, quantum varietate & disciplinarum multitudine, etiam ipsis testibus, reliquis omnibus præstat. Ad hæc accedat disciplina, facessat indulgentia. Accedat disciplina ingeniorum Germaniæ cultrix, gloriæ procreatrix & laudis ejus assertrix. Accedat, inquam, disciplina, & exteris nationibus etiam invitis hanc immortalem Germaniæ laudem extorqueat. Quam nam quæso? Hanc nimirum: cum infinita sint Disciplinæ exempla, nullum tamen illustrius est, quam Germanorum, qui cum a feritate belluarum, ut ipsi confitentur, non procul abessent: cum in paludibus ac sylvis ferarum more vagarentur: cum inveterato quodam odio semper a literis

teris abhorruissent: nunc tantum profecerunt, ut humanitate Asiaticis: militari disciplina Romanis: religione Hebræis: Philosophia Græcis: Geometria Ægyptiis: Arithmetica Phœnicibus: Astrologia Chaldæis: opificiorum varietate populis omnibus superiores esse videantur. Ecquid est in hoc universo, quod ad hanc Germaniæ laudem accedere possit? Ecquid est, quod in hac civili societate cum illa comparari & conferri debeat? Galliæ hoc est de Germania judicium, per Johannem Bodinum, gravissimum Juris Consultum, in Methodo historiarum expressum. Quid, quod Machiavellus suæ ætatis Italos urbane increpuit, quod cum ingeniosi admodum sibi viderentur: attamen Germanos accirent ad metiendos fines agrorum? Quid, quod Leo pontifex, cum Solis & Lunæ cursum emendare vellet, legatos in Germaniam, ut olim Cæsar in Ægyptum, misit? Si unica typographia cum omnibus omnium veterum inventis cer-

tare poteſt: unica Germania cum omnibus omnium nationum ingeniis certat. Quod ſi hæc ſunt aureæ diſciplinæ effecta, *patres Academici*, quibus fortiſſima & ingenioſiſſima Germanorum gens etiam ab exteris populis cæteris omnibus nationibus præfertur: quibus ab omni inſcitia, inhumanitate & feritate aſſeritur: quæ jam iſta temeraria excrementorum hujus ſcholæ cantilena, qua diſciplinam carnificinam, artium & linguarum officinam ſive Pædagogium, piſtrinum decantant, & roſtro ſuo ſuillo leges diſciplinæ ſanctiſſimas conſpurcant? Cum hi glorioſiſſimi fructus etiam e profundiſſimo ſomno quemvis honeſtatis amantem merito excitare, & omnem ſoporem & vertiginem excutere debebant. Quemadmodum Vultejum noſtrum, heu quã ſæpe media nocte intenſiſſimo & gelido frigori expoſuerunt clamantem & ſciſcitantem ipſius temporis momenta, inſtar Samuelis ad vocem Domini expergefacti & reſpondentis,

Ecce

Ecce ego. Metuebat enim Dominum, in cujus conspectu sciebat angelos custodes eorum, quos fidei suæ commissos habebat, apparere & conqueri, si tam precioso thesauro abuteretur. Hinc collegas sibi e multis eligebat, non affinitate, propinquitate vel gratia, quorum neutrum erudit: sed eruditionis opinione excellentes, etiam exteros, quorum præsidio nobilissimum & preciosissimum solum posset religiose colere, iterare, seminare, occare, erudire, uberimamque messem patriæ parere. Nunc repete memoria, præstantissime PINCIERE, annum supra millesimum quingentesimum quadragesimum octavum, quo Vultejum ad celeberrima literarum emporia ablegabas, ut varietate rerum arduarum instructior, moribus gravior, consiliis promptior, usu prudentior, consuetudine humanior, rediret: jam ego tuæ causæ studiosissimus diligenter & solicite contra Vultejum perquiram, an etiam tibi dicto audiens fuerit, prudentis-

ſimosque conſilii tui fructus abunde cumulateque reddiderit. Fingite Vulteji noſtri ingreſſum nunc exaudiri, qui ad diſputationis conflictum, ut ſolebat, accedat. Quæro ex vobis, *patres Academici*, ſtudioſi amantiſſimi, & in judicando religioſiſſimi & integerrimi, an unquam Vultejum noſtrum legendo, diſputando, perorando, confabulando præſto eſſe videritis inanem, levem, ſtupidum, imprudentem & ab humanitatis tenuiſſimo officio alienum? Quæro an non præclara ſæpe documenta oſtenderit, ſibi nec in diſputando ingenium, nec in dijudicandis obſcurioribus cauſis acumen, nec in conſiliis capiendis prudentiam & ſolertiam deeſſe? Hanc ergo præclaram & perennem hæreditatem, quæ nec ſitu perit, nec vetuſtate atteritur, liberis ſuis dulciſſimis reliquit. Meſſem literarum patriæ. Ecquis etiam, *patres Academici*, uberiorem meſſem ſoli Pædagogici, Heſſiæ unquam reliquit? Utinam vero Joſephum quendam Heſſiaca aula nutri-

triret, qui prospectaret & exploraret futuram angustiam, messemque ita disponeret, ne quando inedia, quod omen Deus avertat, premeremur. Tu iste Josephus quondam eras Illustrissime princeps GUILIELME in aula potentiss. & Illustriss. Domini Patris tui, cum Vultejum nostrum difficilioribus & dubiis temporibus, alteri academiæ nostræ alæ laboranti præficeres, nec movebaris calumniis gregariorum quorundam prodromorum huic illustri & memorabili tuo facto obluctantium, quos privata commoda publicæ utilitati, ut fieri solet, anteponere non pudebat. Hoc illustre prudentiæ specimen, Salomone dignum, edebas juvenis, cum in aula patris ageres, nec tam multiplici rerum usu & experientia polleres: tota Europa hac ætate inter principes celeberrimus es, vir es, non in aula patris agis, sed aula tua est, Hessia tua, Illustrissimorumque tuorum fratrum est. Cur ergo, quod in re alterius juvenis tanta cum laude agebas,

in re privata virili toga indutus, non animadvertis? Memineris quæso, illustris Illustriss. Principis, Patris tui carissimi proverbii: Tutum iter, justa moneta, & schola erudita esto. Maneto ergo Mœcenas scholæ tuæ eruditissimæ. Substitue virum gravem, moribus honestum, doctrina præstantem, nec patiare vel commendationes ullius præponderare, vel calumnias quemquam opprimere. Discute pro tua prudentia & sapientia cum summa eruditione conjuncta, qua inter principes viros instar stellæ refulges, nebulas commendationum & calumniarum, ut Socrates facere solebat, dicens, loquere ut te videam, & ex effectis causæ præstantiam & tenuitatem ipse considera, ex fructibus arborem ipso Spiritus Sancti sanctiss. testimonio examina, & laudem juvenili ætate partam, virili ætate conserva. Nec majus esse credes quærere, quam parta tueri: ita factis tuis immortalibus immortale beneficium trabali clavo figendum addes, nec

am-

amplius Josephum in aula alterius, sed Salomonem in aula tua præclare ages. Sed nunc mihi videor æquo longius excurrere, *patres Academici*, victus amore patriæ ad Vultejum ergo, à quo digressus eram, revertor. Vitam ejus qua potui verborum compendio percurri: video mortem tristissimum hujus Academiæ spectaculum, video proh dolor! alterā academiæ alam se demisisse. Cum enim Vultejus noster 17. die Martii optime valens domum rediisset, & capum oberrantem, ut solent boni patres familias, ad viam cogere & inclinans apprehendere voluisset per clathros (ut ad illustrem & vere generosum D. Comitem LUDOVICUM, *D. Witgenstein* perscripsit, mihique aperuit) nemine præsente decidit, periculosissimoque vulnere in capite accepto, animam magno suo desiderio prid. Kalend. April. Deo restituit. O diem luctuosissimam. O incredibilem ruinam, quam ego nec hoc contracto temporis spatio oculis vestris depi-

ctam ſubjiciam, nec ſi vellem, poſſem, Tu præſtantiſſime Vultei in ejusmodi caſibus deſcribendis & figurandis principem locum in hac ſchola tenebas, tu cum Cicerone & Demoſthene loqui potuiſſes, ut non immerito lumen illud Galliæ FR. HOTOMANNUS amicus meus; quem honoris cauſa nomino, literis tuis, quas ad me perſcripſeras, auditis in hæc verba eruperit: Ex unguibus Leonem agnoſco. Tu tanta cum gravitate & admiratione etiam graviores caſus ex hoc loco agebas, ut primarius tui ordinis quidam ex omnibus te unum dignum judicaret, quem ad parem honorariam operam ſuis manibus præſtandam precibus humaniſſimis invitaret. Addicebas hoc, quod a te præſtari Dominus noluit. Sed quis tua funera deplorabit? Quid egiſti? Quid effeciſti, quo nomine te dulciſſimæ patriæ, collegis tuis obſervantiſſimis, diſcipulis tuis cariſſimis commendares? Reſponde Vultei? Nihil. Nihil? quid ais? ſuſcipe quæſo cogni-

cogitationem ſobrii hominis. In quos ergo uſus tam immenſam argenti vim quotannis numeratam accepiſti? Quo artificio, quibus technis & conſiliis Collegas tuos prudentiſſimos & doctiſſimos in caſtra tua pertraxiſti, ut pro ſua ſanctiſſima fide, qua illuſtriſſimis principibus & patriæ obſtricti, ſocordiæ, pervicaciæ, corruptelis tuis, ne quid gravius dicam, arriderent? Quo remedio & precioſo fomento hujus impuriſſimi cibi concoctionem juviſti, ne eum in omnes Heſſiæ anguſos evomerent? At tuus indefeſſus labor, ne ab Hercule exantlatus, tuus ſudor, tuæ vigiliæ, animi tui contentio & aſſiduitas abunde vindicant Collegas tuos doctiſſimos ab omni improborum maledicentia & accuſatione. Singularis tua modeſtia, candor tuus, & integritas tua, quam ex ſacrorum myſteriorum rivulis potaſti, docuit extenuare privata, amplificare & magnifacere aliena. Quis enim hanc patriæ cladem fando explicabit, dum adhuc umbra

tua Pædagogicos tinget parietes? Sed quem tu elegisti Vultei ex omnibus tuis amicis, qui funera tua acerbissimo dolore deploraret? Neminem scio. Neminem scis? Non. Nudus enim ab amicis egressus sum: nudus revertor. At ego qui non sum inimicus tuus, nec amici nomen sanctissimum mihi temere arrogo: cum tamen mihi aliisque tuis collegis elegantissimam orationem funebrem *de obitu illustriss. & potentiss. principis & Domini D. PHILIPPI Hessiæ Landgravii* inscripseris, judicabo, licet mihi conscius sim meæ in dicendo tenuitatis, ipsam naturam me ad mutuum provocare beneficium. Quam ergo vellem, si possem. Sed refrenat mirum in modum hanc dicendi libertatem gravissima illa prolapsio, dicendi nervos incidit miserabilis mortis casus, & dicteria judiciaque temeraria quorundam obtrectatorum, quibus mihi hæc dicendi provincia difficilior redditur. Sed quæ hæc judicia obsecro, Puerilia, *patres Academici*, & a Chri-

à Christiano homine alienissima incendiorum flabella, quæ ego tribus verbis absolvam. Exitus acta probavit. Quid audio? Exitus acta probavit? Quid hoc? Decidit per clathros Vultejus. Ergo, quid? An ideo indoctior? an vita corruptior? an pietate inferior? Non, sed tamen scimus fidelium & proborum hominum curam gerere Dominum, & quidem inter medios hostes, ne ejusmodi repentinis casibus facile obnoxii habeantur, ut inquit propheta: Cadent a latere ejus mille & decem millia, ad eum vero non appropinquabit malum. Atqui hoc est verissimum Spiritus Sancti testimonium, de quo dubitare, nefas, contradicere vero scelus. Quasi vero quis de fide hujus testimonii elevanda laboraret? Pari argumento Eliphas Themanites probissimi Jobi afflictiones cumulabat, inquiens, recordare, obsecro te, quis unquam innocens periit? Aut quando recti exstincti sunt? At quid ipsa veritas? Obruit turris Babylonica tot viros, an ideo

co

eo rei & a Deo relicti? Eutychus adolescens Paulum concionantem audiens, a tertia contignatione alto somno oppressus decidit, mortuusque sublatus est, an ideo impius & quovis scommate dignus? Tu certe miseria indignus, qui Lunæ radiis botrum maturescere cogitas. Quod si tamen tanta ferves conviciandi rabie, (quia & formicæ sua bilis) si te & ingenii pravitas & rixandi libido, & diabolicus fastus, quo turges, hebetat & excæcat, ut nihil videas in meridie, cur non pari ratione insultas ipsi Dei viventis filio? cur virulentam tuam linguam non acuis, ut soles, infernali cote in Martyres, qui sanguinem suum innocentissime profuderunt? Cur ipsis parcis Apostolis? Horum causa, dices, erat justa. Heus bone vir, si iniquissimis criminationibus facile fides habebitur: si accusasse sufficiet, quis innocens erit? Proba ergo prius hujus causam injustam fuisse, aut tineas pascere desine. Omnes anguli totius Hessiæ clamant Vultejum fuisse virum vita, autoritate & pietate præstan-

ſtantiſſimum. Civium egeſtas hujus viri interitum luget, quia exaruit fons benignitatis, quo difficilioribus temporibus ſe reficere ſolebat. Principes conqueruntur de maximo damno huic Scholæ ex morte Vulteji illato: Exteri Theologi & Jureconſulti celeberrimi hiſce omnibus congemiſcunt. Tu qui videntem agis in Iſraele, & perſpicacior ipſis etiam noctuis in Cimmeriis tenebris haberi cupis, cauſam age hujus triſtiſſimi ſpectaculi nobis aperi, ut ex tripode hoc tuum oraculum profectum eſſe ſciamus. Ignoſcat tibi Deus. Nam arguet te Spiritus Sanctus de juſtitia, de peccato, & de hoc tuo judicio, qui potius hoc triſtiſſimo ſpectaculo ad timorem & modeſtiam erudiri debueras, quam ut ex cerebello tuo judicium perrumperes altiſſimi, terræ cœlique opificis. Stat enim immotum hoc ejus judicium: Nolite ſententiam ferre, ne qua de vobis feratur ſententia. Equidem ſi hæc in viridi ligno exhibita eſſe vides, quid cogitas de arido? Senties aliquando, crede mihi, ſi

qua

quæ pietatis gutta in te est, quid sit ejusmodi rabiosis plasphemiis ipsam innocentiam & patriæ thesaurum conspuere. Senties quid sit in altum te efferre, ut similis sis excelso. Et ita paulatim discere assuesces, quid sit multam istam abyssum, judicia Dei immortalis incomprehensibilia, mortali & proprio sensu metiri. Sed dices, quis Vultejus? an non homo? At quis hoc inficiatur? Judicas quidem de homine, quod quamvis grave, quia servus Domino suo stat, & domino suo cadit: attamen præterea Deum Dominum nostrum, judicem nostrum tribunali ejicis, & pro divina facie turpissimam larvam substituis. Si Vultejum cognoscere ardes, audi quæso illius de se judicium, & sobrie perpende an se noverit. Dic Vultei carissime, audiant magni scholæ proceres, audiat studiosa corona, audiant Musarum delitiæ, audi & tu, si lubet, gravissime scilicet animi corporisque censor. Dic Vultei carissime, ut adhuc semel exaudiam vocem tuam

am eruditissimam. Dic quæso quis es? Sic enim de se ipse respondet:

Quid sum? quis? qualis? quantus? quotus? unde? quibusve
Ortus avis? quorsum tendo? quibusq; viis?
Vermis: homo: malus: exiguus: postremus: ab imo
Talibus & cretus, nitor ad astra: fide.

Audin prudentissime judex, gravissime censor, quo de viro pronunciaveris? quam vocem præ nimia stomachi cruditate, ob odium absorptum, sed non concoctum eructaveris? Audin? O inconsideratam cupiditatem. O rem miserabilem & deplorandam, si quis se amat sine rivali. Erras si linguæ petulantia virtutis statuam moveri posse censes, quæ licet multis multorum improborum petatur machinis, attamen infracta & immota subsistit. Sed hoc nostro Vultejo commune esse cum viris vere toto terrarum orbe celeberrimis, te scire par est, qui ejusmodi Mamercos & invidiæ pestes effugere nunquam potuerunt. Sic Platonem impetebat Eubulides, Alcibiadem Hyperbolus, Hesiodum Xenophanes, Pindarum Amphimenes,

Ana-

Anaxagoram Sosybius, Ciceronem Clodius, Homerum Zoilus: Sic cuculus cucullando obtrectat lusciniæ At quam pulcrum est, inquit divinus Plato, ita vitam instituere, moresque effingere, ut istis Zoilis & Mamercis non habeatur fides. Recte enim Martialis:

Ut bene loquatur sentiatque Mamercus,
Efficere nullis Aule moribus possis:
Pietate fratres Curios licet vincas.
Quiete Nervas, comitate Drusones,
Probitate Marcos, æquitate Mauricos,
Oratione Regulos, jocis Paulos:
Rubiginosis cuncta dentibus rodit.
Hominem malignum forsan esse tu credis,
Ego esse miserum credo, cui placet nemo.

Nam si hujusmodi phrenetici hominis contorta jacula exaudivisset Vultejus noster, quid eum responsurum fuisse huic dodonæo cymbalo putaretis? Nisi me fallit animus, idem quod Simei: Sinamus eum maledicere, Dominus enim ita præcepit. Retribuet mihi Dominus pro hac criminatione, bona. Nihil huic optasset, quam meliorem mentem. Profecerat enim majori cum fructu gratia Dei in schola

la Spiritus Sancti Vultejus, quam ut ad ejusmodi inanes & futiles crepitus expavesceret. Qui licet obtrectatoribus ejusmodi vita sua patientiæ, modestiæ, pietatis & virtutis cujusvis exemplum esse potuisset, ut ipsa invidia coacta fuisset innocentiæ & civilis integritatis ipsi testimonium dare, attamen hunc miserabilem casum agnoscebat justissimum Dei judicium, siquidem nec stellæ, nec sol clarissimus purus est in ejus conspectu. Hinc decumbens hoc ultimum sacrificium Deo suo & Domino suo, non sine cruore æternam ingressurus domum, carmine, instar summi sacerdotis non sine sanguine sanctũ sanctorũ ingredientis, litabat:

Cũ mihi sidereus pater, astraq; cuncta faverent.
Indoluit, dolor est cui mea tota salus.
Impetrat, ut toto me præcipitantius acto
In caput evertat corpore, vulnus aret.
Hac nova decubitus facit illi gaudia noster,
Quod tamen hunc æqua perfero mente dolet.
Cum patre cœlesti pulcre mihi convenit, in quo
Quamlibet in media spes mihi morte viget.

Didicerat enim crucem tollere, & Christum sequi. Didicerat eandem fortunæ tempestatem cum magistro

ſuo obire & experiri. Didicerat germanum ſe filium Dei eſſe, non ſpuriū, non extraneum & peregrinum, ſi graviſſimis afflictionum procellis verberaretur: Siquidem juſtum Dei judicium incipit à domo Domini, qui caſtigat, punit, & probris afficit eum, quem diligit. Hoc prophetæ ſonant, Apoſtoli clamant, Martyrum ſanguis obſignat & teſtificatur. An ut perdat? Nihil minus, inquit Apoſtolus, 1. Cor. 11. ſed ut à mundi hujus damnatione liberet. Liberavit te, *optime Vultei*. Liberavit te hoc exilio: eruit te ex hoc mundi ſepulcro: eripuit te ex carcere & introduxit te in aulam immortalis gloriæ. Si enim hic peregrinamur, ſi cœlum patria, quid aliud terra, quam exilium? Si relegatio ex hoc mundo eſt vita æterna, quid aliud mundus, quam mortis taberna? Si carnis depoſitio eſt libertatis adeptio, quid aliud corpus, quam carcer? Si Dei præſentia frui eſt ſumma felicitas, ecquid aliud ea carere, quam extrema infelicitas? Fruere ergo illa felicitate, *Vultei præſtantiſſime*, mihi in æternum vale.

Appen-

APPENDIX II.

HERMANNI VULTEJI

ET

Clarissimorum virorum ad ipsum

EPISTOLÆ XX.

ut plurimum nondum

editæ.

HERMANNI VULTEII
ET
Clarissimorum virorum ad ipsum
EPISTOLÆ

I.

SAut literæ tuæ ad me in itinere intercipiuntur, aut felix tua senectus facit, quo minus tot literarum quas hinc inde mittis scriptioni sufficias. Ut ut autem sit, ego tamen propterea scribere non cessabo; cum sciam eo tibi me facere rem longe gratissimam. Nihil autem mihi est potius, quam tibi gratificari. Ita enim de me es meritus; nec unquam illius diei quo cum Collegis tuis eruditissimis & honestissimis me excepisti, memoriam deponam: utinam vero & tibi & illis aliquid reponere queam. Eousque autem animum gratum accipis, donec animus factis declaretur. Nova quæ sunt, pleraque tristia sunt, & de illis jam pridem credo, vos certiores factos. Proditoria enim illa

invictissimi Herois *Principis Auriaci* cædes toti nunc mundo est notissima. GEBHARDI etiam *Archiepiscopi Coloniensis Electoris* e Ditione sua exclusio notior est, quam boni optaverint. Nondum tamen is prorsus abjecit animum, expectatur enim finis obsidionis Zutphaniensis: quæ si prospere cesserit, magnum ei momentum afferret ad ditionis suæ recuperationem. Verum hæc ἐν θεῷ γνώσει κεῖται. Successus felices CASIMIRI in repurgandis ecclesiis & scholis Palatinatus electoralis a fecibus ubiquitisticis tristes accidunt ubiquitistis, & multo tristiores quam nostris mutatio Anno 77. facta. Inde est, ut pro concionibus valde sint vocales, & quidem vehementes, sed sine nervis. Insignem se fœtum contra Calvinianos exclusisse existimant, sua illa quam inscripserunt *refutatione orthodoxi consensus*, quam jamdiu parturierunt. Sed credo autorem orthodoxi consensus illis repositurum esse, quod non est placiturum. Quod ad nos attinet, adhuc sumus

in

in statu antiquo: ex quo fit, *ut quam quisque Religionem imbibit, in ea permaneat.* Cujusmodi tamen sint animi, facile intelligis. Deus faciat ut simus & fiamus unum. Isque Ecclesiam suam cum bonis, inter quos Tu optimo jure es reponendus, tueatur. Vale. *Marpurgi* VII. Septemb. A. LXXXIV.

Tui Studiosiss.

HERMANNUS VULTEJUS.

Reverendo Viro, pietate & eruditione praestanti Dn. RUDOLPHO GUALTERO Ecclesiae Tigurinae Ministro fidelissimo Dno & amico suo colendo.

Zürich.

II.

CL. VIRO
FRIDERICO SYLBURGIO,
S. D.
HERMANNUS VULTEJUS.

PAgellas aliquot *commentationum mearum*, ab auditoribus meis ante

triennium cum Inſtitutiones Juris Juſtinianei publice docerem, ex ore meo exceptas, & a vobis excuſas accepi, nondum quidem completas, ſed quas propediem completum iri per literas mihi ſignificaſti. Ut expoſtulem tecum, qui JOHANNI WECHELO, celebri typographo, ad id audendum autor extitiſti, mihi nunc non vacat; ut inſtitutum tuum probem, non video. Dediſti aliquid aut fortaſſe plus quam oportuerit, amicitiæ noſtræ: & quisquis ille eſt, qui hanc rem apud te inſtanter procuravit, de me bene meritus non eſt. De aliis quam bene meritus ſit, neſcio: vellem autem quam optime, quando res nunc ita cecidit. Sed ἀπορῶ. Neque dum enim cogitationes illæ meæ, qualescunque ſint aliisque viſæ fuerint, ad maturitatem pervenerant; imprimis vero illæ, quæ in idea diſponendi juris mihi erant poſitæ. In ea enim non pauca ſunt, quæ deſiderem ego nunc ipſe: quæ fortaſſe perficiam, ſi Deus vitam dederit, & hunc laborem

juris

juris studiosis non esse ingratum animadvertero. Nam si in ulla juris parte, in hac certe operam aliquam collocare, mihi stat sententia. Est quidem illa sive docendi, sive discendi rationem spectes, longe pulcerrima: sed ut est pulcerrima, ita difficillima. Itaque de cæteris hactenus minus fui sollicitus. Fecerunt tamen quidam studiosi, mihi perfamiliares, ut aliquot *Disceptationum juris libros* adornaverim, in quos ea conjicio, quæ a præstatissimis hujus seculi Jurisconsulsultis in controversiam trahi & acriter utrinque propugnari animadverto. De his mitto ad te *Barbarium Philippum*, rudem quidem illum & informem, sed cui in statione hac pagellarum, quas vacuas fore scripseras supplendarum collocato, minus credo erit periculi quam erat tum, cum insolescens & in populo Romano sublimis evectus, & magistratu lasciviens, a domino suo agnitus, eoque tacite procedente, ex adverso toga prehensus est. Eum quod

d 5 tem-

tempestivius quam alias volebam, lucem videri passus fuerim me non pœnitebit, si dignum esse boni judicaverint, qui lucem videat. Vale. *Marpurgi* e musæo meo XXIII. Augusti, Anno LXXXVI.

III.

Ante octiduum literæ tuæ, *Vir Magnifice*, primum mihi sunt redditæ: quæ ut mihi acciderunt per quam gratæ & jucundæ: ita indignabar serius eas mihi reddi, quam oportuerat. Gaudeo tamen esse redditas: scio enim quam multæ sæpe supprimantur. Ago vero Tibi ingentes gratias pro tuo tam honorifico de me judicio. Etsi enim in me non agnoscam, quæ mihi tribuis: volupe tamen mihi est a viro laudato magnifieri. Quanti vero ego te fecerim semper, testes mihi erunt studiosi, qui hoc loco opera mea utuntur: quibus scripta tua, in quibus egregium agis Jurisconsultum, Philosophum, & Historicum, commendo.

Credo

Credo Te indignari valde typographis, qui in inquirendis bonorum auctorum libris ſolent eſſe curioſi, ſed in excudendis ad ſcuticam negligentes. Malum illud tuis ſcriptis commune eſt cum ſcriptis aliorum: ut tanto minus curas tuas abjicere debeas de prodendis diuinis tuis meditationibus, quas ex aliis jam intellexi te in parato habere. Quæſo, *mi Reuſnere,* ne quam illi ex culpa ſua merentur poenam privatim, noxa fiat publica: Litterati, ſi quid ſecus fiat, facile agnoſcunt: & peccata non auctoribus, ſed typographis adſcribunt. Cum primis vero rogo, ne ceſſes nobis dare plures *ſententiarum* ſive *Deciſionum Juris* ſingularium libros. Legi duos iam editos a capite ad calcem: Dicam uno verbo quod ſentio: in his vincis te ipſum, qui in cæteris viciſti alios. Fateor, me ad illos ſæpe recurrere in conſultationibus, nec dubito, quin idem faciant etiam alii, qui in foro verſantur: & vero ſcholaſtici etiam in illis inve-

invenient ſtudiis ipſorum accommodata. Es in ſublimi illo loco, unde proſpiciendi occaſio ad multa tibi amplior eſt & commodior, quam multis aliis. Dabis hoc unum adhuc Reipublicæ, & nomini tuo jam dudum immortali. Cæterum ut tam ſollicite te apud me excuſares, opus non fuit. Nam haud erat mihi difficile divinare, iſthic apud vos eſſe, qui ſicubi ſors ita ferret, promovendi eſſent præ aliis: audacior tamen in commendando illo viro fui, quod illum ſciam eſſe ejusmodi, ut pro illo etiam ſpondere velim. Nihil me movit aliud, quam incomparabilis hominis ſcientia, quam amplector. Interim vero ago tibi gratias, quod ex literis tuis tuum in me benevolum animum intelligam. Vtinam autem ex me quid eſſe poſſet, unde re ipſa intelligeres, me tui cauſa velle quidvis. Lætor vero vel hanc ſaltem per virum illum occaſionem mihi datam ad te ſcribendi, idque eo magis, quod frater meus jam o-

lim

lim mihi: tuam in ipſum benevolentiam, cum Argentinæ una eſſetis, commendaſſet. Quod in me eſt, colam te & obſervabo, quoad vixero: tu quæſo me ut cœpiſti, amare perge. ZOANNETI *opera*, me potiſſimum procurante, a typographo noſtro ſunt recuſa: non forte omnia, ſed quorum nobis data fuit copia: nam intelligo ſub Zoanneti nomine Conſilia etiam edita, quæ mihi videre nunquam contigit. Verum accidit, quod futurum augurabar. Etſi enim non eſſent nobis omnia ad manus, fore exiſtimavi, qui nobis eſſent communicaturi, ſi quæ ſecum haberent, alia. Id tu, *Vir Magnifice*, offers liberaliter. Locutus ſum Typographo, cui nihil eſt potius, quam ut excuſis, quæ deſunt, addat. BARTHOLOMÆI ROMVLEI *opera* omnia, quæ extant, & quæ haberi poſſunt, vellem recudi. Magni enim ingenii & judicii Juriſconſultum fuiſſe pauca illa, quæ mihi quidem videre contigit, ſatis arguunt.

guunt.

guunt. Idem ſentio de GRIBALDI &*aliorum operibus*: quorum mentionem facis in literis tuis: de quibus niſi moleſtum eſt, in ſpecie me edoceri cupio. Pro Comitiva tua ago tibi gratias: addidiſſem etiam ego aliquid, ut quod fecerunt alii, idem etiam facerem, id eſt, honori tuo inſervirem. Nihil hoc tempore habeo, quod pro munere illo tuo reponam: faxo ut mox ſequatur aliquid. Sed nimis diffundor, tibique fortaſſe longa hac præſcriptione moleſtus ſum. Tu hæc, *Vir Magnifice*, in meliorem partem pro candore tuo interpretaberis, atque omnino tibi perſuadebis tui amore ſcripta eſſe. Quod ſi moleſtum non eſt, & ſi per negotia tua fieri poteſt, rogo ut reſcribas. Ita enim quod coram non poſſumus, exhibebimus invicem per literas. Mihi certe nulla, ſi quæ ſe obtulerit, prætermittetur ad te ſcribendi occaſio. Bene vale, *Vir Magnifice*, & Vultejum tui eſſe amantiſſimum & obſervantiſſimum

omnino

omnino tibi persuade. *Marpurgi* VI. Septembr. Anno MDC.

Magnif. T. Excell.
observantissimus
HERMANNVS VULTEJVS, D.

Magnifico & vere Nobili *Viro Dn. NICOLAO REVSNERO JCto. ceceberrimo, Comiti Palatino Cæsareo, Consiliario Saxonico, Academiæ Jenensis Antecessori & Collegii Juridici Seniori, Domino & amico suo unice colendo.*

IV.

Literæ, quas *Vir Clarissime & Consultissime*, Facultati Juridicæ in Academia Marpurgensi, & mihi inscripsisti, redditæ nobis sunt tardius, quam vel tu ipse, vel nos voluimus. Scriptæ enim sunt 30. Octobris: hodie autem cursor tuus eas exhibuit, ut per duos ferme menses integros in

in itinere fuerint; & vero cursor tuus urget abitum. Quam ob causam ubi respondere non possumus, prout vellemus & omnino existimamus, te facile nos excusatos habiturum. Quod vero ad me sigillatim scripsisti, perquam mihi gratum, præsertim quod & de re illa scripsisti, de qua ante annum bibliopolis nostris Francofurtum euntibus mandaram: unde tamen nihil habere potui, quam quod mihi nunciaretur, tractatum illum tuum *de jurisdictione* nondum esse editum. Tu autem, *Vir præstantissime*, perge, res est, quam tractas, ingenio tuo digna, & ex ea nomen tibi erit immortale. Quod vero a me petis, profecto essem non homo, si id tibi denegarem. Nihil enim mihi est potius, quam virorum doctorum esse amicus. Vtinam vero mihi sit occasio, meum erga te amorem & benevolentiam re ipsa tibi exhibendi. Cæterum tractatum tuum *de jurisdictione* desidero & expecto, qui mihi instar erit thesauri,

ſauri, præſertim quod & ego ante aliquot annos de ea re cogitaverim. Vale, *Vir Excellentiſſime*, & Vultejum tuum amare perge; ego te depereo. *Marpurgi*, ſcribebam currente calamo die 32. Decembris Anno 1608.

Excell. Veſtræ
ſtudioſiſſimus,
HERMANNVS VULTEJVS, D.

Clariſſimo & Conſultiſſimo Viro, Domino MATHIÆ STEPHANI J. *U. D. & in Academia Gryphiswaldenſi Anteceſſori eximio, Domino & amico ſuo unice colendo.*

V.

HERMANNUS VULTEJUS, JCtus.

Joanni Chriſtophoro & Joanni, filiis ſuis,

A Deo Optimo Maximo omnem felicitatem precatur. Mitto ad vos, *filii dilectiſſimi*, ſcriptum non meum, ſed avi veſtri paterni, in hunc uſum tamdiu ſuppreſſum, quod

non esset alius, ad quem id potius mitterem, quam ad vos duos, qui Dei beneficio superestis *de filiis octo*, quos ipse mihi dedit, & superstites eritis tamdiu, quam diu patri vestro cœlesti visum fuerit: utinam vero in annos multos, Ecclesiæ & Reipublicæ Christianæ, atque vestro ipsorum commodo. Exhibet enim vobis speculum pietatis & eruditionis avitæ, in quod volo vos intueri quotidie, ut vos tanto avo dignos aliquando præbeatis nepotes. De me meisque studiis maturior vos docebit ætas, quæ per ætatem in qua etiamnum estis, nondum intelligitis. Est ea vestra indoles, ut spem ingentem mihi jam tum feceritis, vos vestigia avita & paterna pressuros esse, cujus specimina in hac ætate vestra exhibuistis hactenus præclara. Pergite in eo cursu alacriter atque si placere mihi vultis, ut debetis, ante omnia Deum timete, & orate, ut spiritu suo sancto vos & vestra studia regat, vestrisque actionibus per universam vestram

vestram vitam benedicat. Vota mea esse ad Deum pro vobis, & pro eo, qui vobis jam est studiorum socius, *Hermanno*; & eo, qui mox, Deo bene juvante, vobis socius futurus est, *Christophoro*, sororii vestri CHRISTOPHORI DEICHMANNI *J. U. Doctoris & in hac Academia Professoris*, filiolis, quotidiana ne dubitetis. Hac re, cum alia nequeam melius, vos omnes & singulos juvabo. Valete & salvete, *filii dulcissimi*, hocque speculum, quo vos dono, ante oculos, vobisque unice commendatum habete. *Marpurgi*, e musæo meo, Martii die ultima, qua ante annos Triginta septem avus vester in his terris esse desiit, vitam iniens beatam & sempiternam. Anno MDCXII.

VI.

S. *Clarissime Vir, Domine & Collega honorande.* Typographus Francofurtensis MUSCULUS, cui *Lexi*-

con tuum' *Philoſophicum* dediſti excudendum hodie mihi locutus eſt, conquerens non ſatis feliciter ſibi procedere operas, quod ſui, quorum opera in excudendo utitur, ſcripturam tuam non aſſequantur, ex quo facile fieri poſſit, ut Lexicon illud proximis nundinis vernalibus non ſit proditurum. Cenſebat etiam foliorum diſperſionem, & quod ſubinde adjiceres alia, eamque ob cauſam cum ad te ipſe proficiſci velit, rogabat meas ad te litteras, quas optimo viro denegare non potui. Rogatus igitur rogo, ut huic malo medicinam adhibeas. Ita enim fiet, ut omnia prodeant correcte & ornate. Scis autem quantum ut hoc fiat, ad rem ipſam interſit & nolim tantum theſaurum tractari negligentius. Ceterum forma mihi valde probatur. Oſtendit enim mihi *Muſculus* rei principium ex quo & medium & finem conjicio. Et pro tua prudentia videbis, ut hic tuus partus in lucem prodeat, perfectus & abſolutus,

præ-

præsertim quod intelligas, quantopere is a doctis expectatur. *Francofurti* hæreo in sextam usque septimanam. Nisi intra octiduum res expediatur, omnino mihi est animus, ad vos redire. Nam domestica me magis urgent, quam quæ foris aguntur, nec dubito esse apud vos, qui reditum meum maturari velint. Quod ad cætera vale & salve, Philosophe Excellentissime. Scribebam *Francofurti ad Mœnum* ad d. IX. Novembr. Anno 1612.

Tui studiosissimus,
HERMANNUS VULTEJUS.

Clarissimo Excellentissimoque Viro, Dn. RUDOLPHO GOCLENIO, Philosopho & Academiæ Marpurgensis Professori celeberrimo, Collegæ suo plurimum honorando.

Marpurgi.

VII.

ANnus jam agitur tricesimus quartus, ex quo in CELSITUDINIS VESTRÆ *Ejusdemque* ANTECESSORUM, servitio & ministerio fui & perstiti semper immotus, adeo, ut splendidissimas a Regibus & Electoribus etiam, ut ne quid dicam de aliis, mihi oblatas conditiones & ingentes factas promissiones amori patriæ & Principum meorum, sub quibus Dei beneficio sum natus, postposuerim, easdemque cum ingentibus opibus, quæ mihi ostentari videbantur, magno animo recusaverim. Etsi vero in statione ista, in qua Deus O. M. me primum collocatum voluit, toto isto tempore multas easque haud vulgares molestias devoraverim ab amicis etiam juxta & inimicis, de quibus tamen profecto id nequaquam sum meritus, atroces injurias passus fuerim, in hisce tamen ipsis patientia vici omnia, & præterea Dei, qui me non omnino depressum voluit, benedictionem mul-

multiplicem tum publice,tum privatim expertus ſum, in cujus partibus hanc non minimam judicavi ſemper & adhuc judico Principum meorum, quibus hactenus inſervivi, & quibus impoſterum dum vixero, quantum per valetudinem & ætatem licebit, inſerviam; cumprimis vero CELS. VESTRÆ erga me favorem & clementiam,& ab iisdem ſervitia mea ut fideliſſime a me præſtita, ita clementiſſime approbata. Neque eſt, vt veterum mentionem faciam, ſubinde animo meo recurrunt C. V. literæ, quas ante annum ferme cum inſigni munere *poculi inaurati* ad me miſit, in quibus ſingula verba ſpirabant gratiam & clementiam. Eas, ut quæ ſervitiorum meorum luculentiſſimum omnique exceptione majus teſtimonium perhibeant, inter ea, quæ mihi in ſuppellectili mea ſunt cariſſima, repoſitas habeo, ut poſteris meis calcar addant ad inſerviendum Principibus ſuis fideliter. Verum enim vero hæc omnia mihi ſufficere

poterant: ſed neſcio, quo ardore ferar, ut intermittere non poſſim, ut C. V. rem, quam nunc tracto, ſignificem, eandemque ſubmiſſa animi devotione compellem compellatione fortaſſis ultima ac poſtrema, quod ætas mihi nunc accedat morti, quam vitæ propior. De *filiabus*, quas Deus mihi dedit, *tribus*, duæ Dei beneficio maritis ſuis, viris honeſtiſſimis & doctiſſimis junctæ ſunt. Tertiam natu minimam *ſuperiori Junio* cuidam Jurium Candidato deſponſavi, nuptias vero ei paro, ſi Deo ſic videbitur, *ad diem 25. hujus menſis Octobris*, idque hic *Marpurgi* in C.V. urbe. Optavi ſæpius V. C. res ita tuliſſe, ut C. V. eo tempore Aulæ ſuæ ſedem hic habuiſſet. Quid enim mihi meiſque honorificentius obtingere potuiſſet, quam Principem meum in conſpectu ſtudioſorum & univerſi populi me tanto honore dignari, & intereſſe feſtiuitati illi, quæ non ſola eſt futura, ſed conjuncta etiam illi feſtivitas promotionis doctoralis. Nam

ad

ad eandem illam diem ſponſo filiæ meæ, Deo volente, ab Academia conſerentur honores doctorales in utroque Jure horis matutinis. At cum C. V. utrique iſti feſtivitati coram adeſſe non poſſit, eſt, ut patienter feram tanto me honore fraudari. Ne tamen eo prorſus defrauder, & vel umbra C. V. eum mihi conciliare poſſit, ſi cui mandatum velit, qui ipſius loco huic rei interſit, obnixe ſumma animi contentione & devotione ſubmiſſa oro & rogo, ut C. V. hoc unicum favoris & clementiæ ſuæ erga me meosque ſuperioribus in his feſtivitatibus publicis addat, & uni ex ſuis, quos habet multos, clementiſſime mandet, qui ad diem condictam C. V. perſonam repræſentet, primum in Academia in promotione Doctorali & deinde in templo in copulatione & benedictione matrimoniali, & quod utramque mox ſuſcipiet prandio & convivio ſolito. Non auſim quid amplius, inverecundus fortaſſe videbor aliis, & impudens,

 ſi

ſi quid amplius auſim. Sed quidquid ſenſuri ſint alii, clementia C. V. in me me reddit audaciorem, & omnino confido ipſum in meliorem partem hoc, quod amplius deſidero, interpretaturum eſſe. Dicam uno verbo: cum lautiora & ſplendidiora in iſtiusmodi conviviis appareant omnia, ſi quid carnis ferinæ apponatur, idque & in oculos & in palatum plerorumque incurrat; ego vero ea convivis meis velim, quæ ipſis grata eſſe poſſunt, mihi vero etiam honori; priori petitioni addo, ut ſuis, quibus earum rerum cura eſt demandata, mandet, ut die illum proxime præcedenti, ſi non citius, aliquid ferinæ ad me transmittant. Omnino confido C. V. hiſce petitionibus meis clementiſſime locum eſſe daturam. Ego viciſſim omnia mea officia & ſervitia ad ſanguinem etiam usque ex debito offero, ſtare paratus eo loco, in quo C. V. me collocaverit animo non defecturus, etiamſi fiat, ut deficiam corpore. Vale & ſal-

ſalve, *Illuſtriſſime Princeps*, *Domine Clementiſſime.* Dabam *Marpurgi* calamo currente die 9. Octobr. Anno a nato Chriſto 1613.

ILLUSTRISS. V. CELS.

Subjectiſſimus & obſequentiſſimus famulus,

HERMANNUS VULTEJUS, L.C.

Illuſtriſſimo ac Potentiſſimo Principi ac Domino, Dn. MAURITIO, Haſſiæ Landgravio &c. Domino ſuo clementiſſimo.

VIII.

S. *Clariſſime & Conſultiſſime Vir, Domine & amice cum obſervantia colende.* Veniam mihi dari tertio peto, quod ad literas tuas menſe Auguſto ſcriptas reſponſionem hucusque diſtulerim. Fecerunt id *itinera, quæ juſſu illuſtriſſimi mei heri ineunda & expedienda fuerunt.* Mirifice vero doctiſſimis & humaniſſimis literis tuis delectatus ſum. Et cum partem epi-

ſtolæ

ſtolæ tuæ perlegerem, in qua honorificam de me mentionem facis, venit mihi in mentem S. Auguſtini, qui ad ſimilem laudationem, etſi, inquit, non credo, nec agnoſco me tamen, qualem putas & deſcribis, taman credo, ſentio & plene percipio me abs te diligi. Ita nec in me temerarius, nec in te ingratus extitero. Amavi ego viciſſim te & colui ab illo tempore, quo eruditiſſima tua ſcripta mihi viſa ſunt, & ante quinquennium id unice agebam, ut *Wiſmariam*, ubi iſto tempore commorabaris, viſendi te & alloquendi cauſa excurrerem. Sed aulica negocia me retrahebant, quo minus citius illuc irem, & cum eo venirem, te ab aliis avocatum fuiſſe intelligebam ac dolebam. Interim memoriam tui ſancte tenui, & ſtudioſos juris, qui a te venerunt, & de rerum tuarum felicitate ad me plura retulerunt cum gaudio audivi, & Deum precor, ut illa felicitas tibi ſit perennis. Doctoris - - - - - - - negotium

um, quod attinet, rumor quidem *Rostochii* sparsus est, te patrocinium ejus suscepisse, sed ad aures Principis mei Celsissimi rumor ille non est perlatus, & si vel maxime res ea Celsitudini ipsius innotuisset, nullo tamen modo id ægre tulisset, cum defensionem, cujus pars quædam est advocati excellentis & celebris opera, lex naturæ cuivis accusato permittat. Sed interim cujusmodi tibi erga Principem meum animus sit Celsitudini ipsius submisse explicavi; &, quod vere scripserim, fuit ea res Principi meo relatu & auditu gratissima, quod animadverteret, te patrocinium illud, quod nullo jure impediente in te recipere poteras, cum ob alias graves causas, tum etiam in honorem Celsitudinis Suæ denegare. Comitia Imperialia quomodo exierint in ore omnium est. Contributionis negocium primum est & ultimum. Cetera ad dignitatem & firmitatem Imperii retinendam spectantia verbis leviter attinguntur, rebus politicis religionis

ſtolæ tuæ perlegerem, in qua honorificam de me mentionem facis, venit mihi in mentem S. Auguſtini, qui ad ſimilem laudationem, etſi, inquit, non credo, nec agnoſco me tamen, qualem putas & deſcribis, taman credo, ſentio & plene percipio me abs te diligi. Ita nec in me temerarius, nec in te ingratus extitero. Amavi ego viciſſim te & colui ab illo tempore, quo eruditiſſima tua ſcripta mihi viſa ſunt, & ante quinquennium id unice agebam, ut *Wiſmariam*, ubi iſto tempore commorabaris, viſendi te & alloquendi cauſa excurrerem. Sed aulica negocia me retrahebant, quo minus citius illuc irem, & cum eo venirem, te ab aliis avocatum fuiſſe intelligebam ac dolebam. Interim memoriam tui ſancte tenui, & ſtudioſos juris, qui a te venerunt, & de rerum tuarum felicitate ad me plura retulerunt cum gaudio audivi, & Deum precor, ut illa felicitas tibi ſit perennis. Doctoris - - - - - - - negotium

um, quod attinet, rumor quidem *Rostochii* sparsus est, te patrocinium ejus suscepisse, sed ad aures Principis mei Celsissimi rumor ille non est perlatus, & si vel maxime res ea Celsitudini ipsius innotuisset, nullo tamen modo id ægre tulisset, cum defensionem, cujus pars quædam est advocati excellentis & celebris opera, lex naturæ cuivis accusato permittat. Sed interim cujusmodi tibi erga Principem meum animus sit Celsitudini ipsius submisse explicavi, &, quod vere scripserim, fuit ea res Principi meo relatu & auditu gratissima, quod animadverteret, te patrocinium illud, quod nullo jure impediente in te recipere poteras, cum ob alias graves causas, tum etiam in honorem Celsitudinis Suæ denegare. Comitia Imperialia quomodo exierint in ore omnium est. Contributionis negocium primum est & ultimum. Cetera ad dignitatem & firmitatem Imperii retinendam spectantia verbis leviter attinguntur, rebus politicis religionis

gionis negocium miſcetur, indeque ordines Imperii in diverſas ſententias diſtrahuntur, & ſinguli non de univerſo, ſed de proprio curam aliquam ſuſcipiunt. Quæ res quo tandem evaſura ſit proſpicere & intelligere non eſt difficillimum. Deus Opt. Max. mentes illorum, qui rebus illis tractandis adhibentur, ſpiritu ſuo ſancto illuminet, ut in tenuibus Sacri Imperii reliquiis ſapienter conſervandis operam ſedulam impendant, neque illas ſuis privatis diſſidiis penitus diſſipent. Quod utique metuendum eſt, ni Deus clementer avertat. Salve, Vir Excellentiſſime, & me ama. *Guſtrovii* 4. Novembr. an. 1613.

V. E,

add.

ERNESTUS COTHMAN.

Clariſſimo & conſultiſſimo, Viro D. HERMANNO VULTEJO JCto. & Profeſſori in Academia Marpurgenſi primario, Dno. & amico plurimum colendo.

IX.

IX.

S. P. D. *Amplissime Vir,*

Domine & amice plurimum colende.

MArpurgum vestrum velim esse coloniam Gorlici nostri: ex quo emissi literarii adolescentes, apud vos studia magis seria atque severa aggrediantur. Quo nomine excitati consilio meo, ad vos eunt octo, omnes manu nostra in studio doctrinæ virtutisque exercitati, *Sigismundus Glichius*, *Fridericus Curaus*, *Samuel Spechtius*, *Mathaus Hoffmannus*, *Caspar Cunradus*, *Caspar Grossius*, *Gotfridus Richterus*, *Caspar Hirsecornius*. Hos omnes Tibi commendo, qua possum animi contentione: rogoque ut cum plerique scientiam juris sibi comparare aliquam cupiant, de homine erudito illis prospicias; cujus prudentia docendique facilitate Institutiones iis prælegantur, prælectæ disputationibus privatis proponantur. Nec dubito; quin pro singulari tua humanitate, quibuscunque rationibus possis (potes autem plu-

pluribus) omnibus ſingulisque ſis profuturus. Cumprimis tamen gratioſiſſimo tuo amori commendo *Sigiſmundum Glichium*, cujus ego ſum ſororius: filium ampliſſimi viri, *Joannis Glichi a Milziz, in Serchau, Neudorf & Florsdorf*, Conſulis optime de hac Repub. meriti: de cujus laudibus tacere præſtat; quam in ſuſpicionem venire: ac ſi mihi, ſi meis præconium pangere voluiſſem. Proximum a Glichio meo locum obtineat in benevolentiſſimo tuo complexu *Fridericus Curæus*; filius *Adami*, Te epiſtola compellantis; nepos item *Adami*, Hiſtorici Sileſiorum, ut primi, ita doctiſſimi. Nos viciſſim in eo futuri ſumus, ut de te tuisque bene mereri poſſimus; ſi non beneficiorum paritate: at obſervantia veſtri & prædicatione. Pagellas noſtras, dum nihil occurit aliud, benigne quæſo accipe; feliciter vale, & amare perge modeſtiſſimorum adoleſcentum amicum; ſed

&

& *AMPLITUDINIS TUÆ*
Gorlici XVII. Maji.
an. cIↄ Iↄ cxiv.

obſervantiſſ.

CASPAREM DORNAVIUM.

P. S.

Dum in eo ſum, ut has obſignem: ex Academia veſtra ſic quiſpiam ad me ſcribit: Academiæ noſtræ ſtatus foret tolerabilior; ſi quorundam impetuoſiſſimorum hominum ſtrepitu & licentioſa graſſatione hactenus caruiſſet. Miror equidem ſummopere; hanc peſtem nondum eſſe conſilio publico exſtinctam & ſublatam: quæ tantum in ſe habet mali: ut eos, qui recens auſpicantur ſtudia Academica non modo pecuniis mulctet; ſed etiam a Muſis, ne dicam ab humanitate abſtrahat totos & abalienet. Revocare equidem exorbitantem quendam ex noſtris cogitabam. Sed

f in-

infausto sidere. Invidiam enim ex candore meo & fide contraxi; & eorum odia, qui ex amicitiis quæstum faciunt, easque commodo suo non honestate metiuntur. Hæc verba sunt Academici cujusdam vestri, quæ pene effecissent, ut revocassemus nostros a profectione in Academiam vestram; quam ego ab orthodoxa pietate, & adstrincta legum disciplina tot bonis illustribusque hominibus commendavi. Sed spes est in gravissima autoritate vestra; fore, ut necessaria prudentia, sed & severitate compescatur gliscens hæc favilla; quæ a Lapitharum hoc genere sufflari facile in majorem ignem posset. Qua in re si vestra perspicietur æquitas, explorata mihi & hoc nomine commendata; non desinam, suada mea quantulacunque plures adducere in vestrum Atheneum. Tu, vir Spectatissime, qua polles, autoritatem interpone tuam & cum collegis tuis eam conjunge: & sic statue; non in do-

ctrina

ctrina æque, quam disciplina Academiæ dignitatem consistere. Vale.

Viro Amplissimo, Excellentissimo Domino HERMANNO VULTEJO, Illustrissimi Landgravii Mauritii Consiliario Sanctiori, JCto in Academia Marpurg. primario, Domino, Fautori & Amico meo officiosissime colendo.

X.

S. P. D. *Magnifice Vir, Domine & amice officiosissime colende.*

QUod *Levino* meo & popularibus ejus ea præstitisti, quæ a patrono optimæ notæ proficisci vel possint vel debeant: sane quam gratulor mihi, & clientibus Tuis: Tibi vero etiam repromitto omnia officia, qualiacunque nostrarum virium fuerint. Quod si omnino succumberem magnitudini beneficii Tui: ero tamen animo ita gratus; ut nullum æque vocalem sincerumque buccinatorem laudis sis habiturus Tuæ; atque ego sim futurus:

turus: etiam Academiæ vestræ. Hujus enim amore excitavi impulsu meo duos hosce Juvenes Bohemos, dudum BREMA in patriam reversus *Stephanum Steffecium*, & *Joannem Haulichium*, Pragenses ambos: ambos ingenio valentes, industria vitæ, morumque probitate. Eos Tibi commendo, qua par est, observantia: rogoque, ut si forte, in tam præcipiti rerum humanarum vicissitidine, alteruter morbo corripiatur; beneficia eum vestra sublevetis. Non deerunt sui gratissimo animo sumptus refundere. Atque ego Steffecium imprimis diligo; quippe & meum filium, formatione mentis, quæ ipsi quondam a mea manu accidit. Ejus tam siticulosa est fervidaque discendi cupiditas: ut non incitari hactenus eum oportuerit: sed nimirum sæpe abduci ab opere nimis serio atque vehementi. Non dubito; quin hos tales amplexuri sitis benevolentia singulari. Nova quæ commemorem, non adeo occurunt ἀξιόλογα. In vicina

vicina Silesia serpit in quibusdam animis *Ezechielis Metti* hæresis: quæ Anabaptistarum, Catabaptistarum & Enthusiastarum deliria revocat, & novis quodammodo phrasibus convestit. In Polonia item vicina *Smalcius* & cætera cohors Photinianorum argutatur insigniter, scriptis publicis adversus *Franzium*, Theologum Wittebergensem: qui, si velit solide illata tela depellere; habebit, unde sibi ungues præmordeat. *Colonitius*, Heroicus quondam Ductor copiarum in Ungaria, collegerat ex gregariis & rusticis circa bis mille milites: prædatusque hinc inde, ceperat nonnulla castra oppidaque tum Cæsaris, quam regnicolarum, incertum quo instinctu: jamque etiam *Posonio* imminebat. Sed nimium fidens cuidam signifero, ab eo bipenni pectore tenus transverberabatur; capitur, Viennam defertur, atque inibi in carcerem dejicitur. Deus ecclesiæ suæ & Reipubl.

 beni-

benigne faciat: Te vero servet bono utriusque. Vale & salve

a

Calendis Julian. CIↃ IↃCXV. Bethaniæ Siles. ad Oderam.

Mag. Tuæ observantissimo,
C. DORNAVIO.

Viro Magnifico Dn. HERMANNO VULTEJO JCto. Consiliario Illustrissimi Hassiæ Landgravii & in Academia Marpurgensi Professori Juris primario, Domino, Fautori & amico meo officiosissime colendo.

XI.

HERMANNUS VULTEJUS,
Hessus,
JO. PETRO LOTICHIO.

LIteræ tuæ, *Vir Præstantissime*, quas ad me dedisti IV. Id. Augusti, red-

redditæ mihi primum ſunt pridie Non. hujus menſis. Verbis profecto aſſequi nequeam, quam illæ mihi fuerint gratæ & jucundæ, non tam ob munus id literarium, quod eis addidiſti, vere tuum, quam ob inſignem animi tui in me candorem, & ſummam benevolentiam, cui utinam tam reſpondere poſſem, quam mihi eſt animus. Quod autem mihi tantum tribuis, quantum domi meæ non conſpicio, id benigne magis facis, quam ullo meo merito, & ad egregias illas laudes, quas mihi epiſtola tua congerit, nihil habeo, quod reſpondeam, niſi te de me amantiſſime errare. Id facile patior, quod de humanitate ſcribis, quia homo ſum, ut nihil humani a me alienum putem. Certe ita eſt, ut ſcribis, doctiſſimum *Bachmannum*, cum mihi nuper adeſſet, ex me tunc audiviſſe, cum inter nos de ſtudio Poëtico eſſet ſermo, quanti te facerem. Nam jam tum in *Bibliotheca* mea *Poëtica* erat *Bibliotheca tua Poëtarum*, &

tuus *Holofernes*, quos paucis ante diebus perlegeram. Sum enim ſtudiorum iſtorum, ſi quisquam alius, amantiſſimus & vix mihi ullus dies abit ſine Poëta, tametſi Poëta non ſim. Ex lectione tuorum animadverti, te Majoribus tuis non cedere, tanta facilitate & felicitate eam familiæ tuæ honeſtiſſimæ eſſe propriam. Et pro munere ipſo tuo & quod parentem meum, pie defunctum inter tantos heroas in Scenam produxiſti, ingentes habeo tibi gratias, præſertim, quod tam honorifice abs te eſt factum. Nihil in eo deſidero, niſi hoc, quod cum ejus liberorum facis mentionem, non addidiſti, *tres filios Doctorales honores obtinuiſſe, duos in Jure* & unum in *Medicina*, & filiam unicam nuptam fuiſſe JOANNI ANTRECHTO *J. U. Doctori* & *Cancellario Landgravii* WILHELMI *Sapientis* & poſt eum MAURITII. In omni ſcibili erat verſatus, atque de his, quæ ipſi proponebantur, ita differebat, ut quælibet facultas ipſum ſuum

eſſe

esse diceret & ad miraculum erat facundissimus, certe nulli secundus. Quod tibi cum genero meo D. LOTTICHIO amicitia est, est mihi perquam gratum. De eo quod scribis, te ex loco isto lares tuos alio transtulisse non miror. Genius enim tuus illo superior est, qui loco tam humili coërceri se non patitur. Ad majora enim & altiora aspiras, & merito. Injurius esses in te ipsum, nisi id faceres. Atque utinam occasio sese te digna offerret, qua genius tuus ea facere, quæ potes, esset promptior. Certe tempora, ut nunc sunt, vix aliquid tale præ se ferunt! & ita nunc agitur, *ut ii, qui Religionem eam, quam amplectimur, sequuntur*, spem aliquam habeant, quamvis interim de Dei voluntate dubitandum non sit, suis prospiciendi. Es jam in urbe illa, quæ tibi esse possit instar speculæ, ex qua sese offerre posset istiusmodi aliquid: & vero subinde notior fies Magnatibus. Ἀλλὰ ταῦτα ἐν Θεοῦ γέννασι κεῖται: qui sedulo &

 serio

serio orandus est, ut viam monstret, qua eundum sit. Interim, *mi Lotichi*, forti sis animo & in studio isto vires magni tui ingenii ingentes exere. Nescio quid mihi ominis sit ex his, quæ in publicum dedisti, fore, ut, qui ad famam & immortalitatem tam bene cœpisti, eam expleas, & consequaris perpetuam. In ea es ætate, ut omnia tibi sint obvia, eaque nunc præstes, quæ plerique in ætate majori præstare nequeunt. Optarim sane, ex me aliquid esse posse, quo intelligas, me tui esse amantissimum, & de salute tua solicitum. Non enim credis, quam afficiar & delecter illis, qui eo ingenio sunt a Deo exornati, quo tu es. Cæteroquin perquam gratum erit, si hoc officium literarium continuaveris: erunt ex me ἀμοίβαια. Vale, & salve, *Vir præstantissime*, meque tui esse amantissimum omnino tibi persuade: de te nullus omnino dubito. Scribebam calamo currente die X. Septembris, *Marpurgi* Anno MDCXXVI.

EIUS.

XII.
EIUSDEM
AD
EUNDEM.

SI Miraberis, *Vir Magnifice*, quod superioribus tuis, tam amanter & quidem cum munere *Febrium*, ad me missis, non responderim hactenus. Nolim vero te mihi indignari. Fateor, in familiaribus scribendis me plus æquo esse lentulum, sed & ætas profectior cursum meum inhibet, & vero, quod potissimum est, negotiis cum publicis, tum privatis, tantum non enecor, a quibus si quid mihi est remissionis, id valetudini tribuendum est. Sed est quid amplius, quod me tardiorem ad te reddidit, cui tu ipse occasionem dedisti. Misisti ad me munus insigne, quod tam mihi gratum est, quam mihi est ingratum febri corripi. Est illud *de Febribus*, quibus in eo bellum indixisti, tametsi abs te ipso accuratissime & elegantissime ornatis. Legi illud, tam-

tametſi in plerisque, utpote a foro meo alienis, mihi difficilibus. Ita perge, *Excellentiſſime Lotichi*, & Majorum tuorum nomen atque famam perenna. Id tibi faciendi facultas eſt, tibi etiam ſupra ætatem tuam: & jam præſtitiſti ea, ex quibus conjici poteſt, quanta ſuccreſcente ætate præſtiturus ſis. Huic muneri addidiſti *carmen ad me ſcriptum*, in quo non agnoſco, quæ mihi tribuis, certe perquam amanter erras. Eſt hoc omne benevolentiæ & amoris in me tui: ne quid tamen ad te diſſimulem, titillant me, quod tibi tuique ſimilibus, id eſt Viris doctis & candidis placeo. Verum hoc ipſum eſt, quod hactenus ſilui. Nihil enim erat, quod pro munere illo & pro illo carmine, reponerem. Cogitabam de carmine aliquo, quo te compellarem: Sed cum venam Poëticam ſecarem, illam prorſus exaruiſſe comperi. Sanguinem enim non mittebat. Interim vero cum non eſſet mihi diutius tacendum, haſce ad te ſcribere & volui

lui & debui, quoad mihi aliquis ſanguis rediret. Tentabo interim aliquid, ſi ociolum aliquod mihi erit. Velim autem, ut me excuſatum eo usque habeas, & me tui amantiſſimum credas & omnino tibi perſuadeas: quod utinam re ipſa tibi teſtatum facere poſſem: Voluntas profecto mihi ſemper fuit, eſt, & porro erit, quoad vixero; ſed dolet mihi valde, quod facultas mihi defuit. Gratulor tibi plurimum, te eſſe eo loci, ex quo innoteſcere poſſis Imperio: ut ſperem, tibi ad altiora brevi fore aditum. Sæpius de te cogito, & nihil accidere poſſit optatius, quam ſi intelligam, te eſſe in loco, ingenio tuo & tua doctrina digno. Sed Deus providebit. De rebus publicis non eſt, quod ſcribam. Vobis enim, qui *Francofurti* eſtis, de illis conſtat omnibus certius, quam nobis, qui a ſpecula iſta aliquanto remotiores. Hic omnia Dei beneficio ſunt quieta: is ea nobis faciat perpetua. Vale, & ſalve *mi Lotichi*, & me ama.

ma. Scribebam *Marpurgi* in Musæo meo, calamo currente, die XXX. Sept. Anno Christi MDCXXVII..

XIII.

EIUSDEM
AD
EUNDEM.

S. Non hunc solum sed annos complures insequentes, Deus Optimus Maximus, *Vir Excellentissime*, tibi tuisque omni ex parte velit & jubeat esse auspicatos, faustos & felices, quod voveo ex animo. Unde ego harum mearum literarum exordium ducendum arbitratus sum, quod & Christiana charitas hoc a me exigat & jus amicitiæ, quæ mihi tecum est, quod delere nefas duxi, id postulet. Est vero & aliud, ut mihi sis demulcendus. Superiori enim anno ternas accepi litteras, a te mihi inscriptas, ad quarum nullas tibi hactenus respondi, ut mihi succenscendi

ſendi cauſam habeas haud immerito. Peccatum meum agnoſco, ſed omnino confido, te, pro tuo erga me amore & benevolentia, veniam mihi daturum eſſe, idque te facturum eo facilius, quod me tibi nunc ſiſtam & accuſem memetipſum, veniam petiturus. Natura tardior ſum in ſcribendo, ſi neceſſitas id faciendi non urgeat: cui nunc accedit ætas gravior, annorum nimirum Dei beneficio ſeptuaginta trium, quæ vel ſola ut eſt per ſe ipſam moleſtior, ita ad omnes operas hominem tardiorem reddit & ſegniorem, ut ego diſpliceam mihi nunc ipſi, mihique ſuccenſeam: & accedunt occupationes meæ quotidianæ, quibus tantum non enecor. Sed vide ſis, *mi Lotichi*, ne, ſi durior eſſe velis, aliquid culpæ ceſſationis meæ in te rejiciam. Ferme illæ tuæ ſpirabant Amores & Charitas, ut verbis conſequi nequeam, quam mihi ſit gratus tuus in me propenſus animus, ut neſciverim, quibus verbis affectibus tuis reſponderem, cum

pri-

primis vero illæ, quæ ſcriptæ erant poſtridie Non. Quintilis, quibus *carmen in laudem mei* adjeceras, ut exiſtimarem, pro eo tibi aliquid reponendum eſſe. Erat vero mihi animus id facere & multoties calamo adimpleto tentabam aliquid, ſed toties ille manu excidit, ut tandem hoc omiſerim quod mallem tacere, quam non paria facere. Interim nolim exiſtimes, te a me negligi, a quo abſum quam longiſſime, memoriam tui quotidie recolens divinis tuis poëmatibus, Lotichiani ingenii ſummis teſtibus. Noſti verum amorem animis conſtare, quibus ſibi invicem loquuntur amici, tametſi longe abſentes. Cæterum tu perquam amanter de me erras, qui ea mihi tribuis, quæ profecto non agnoſco. Sunt illa omnia ſupra me poſita, & ſpiritus meus norit, quid in me ſit, nimirum quam omnia ſint exigua, auſim dicere nulla. Ex animo, quod Deus novit, ſcribo, me quotidie dediſcere & me imperitiæ meæ ſemper fuiſſe conſcium,

um. Absit, ut patiar, me audire Bartolum, aut alium ejusmodi Deum majorum Jureconsultorum. In infimis sum, neque arrogo mihi aliquid amplius. De publicis rebus nihil attinet scribere. Sedes in specula illa, ex qua omnia conspicias. In hac urbe res sunt Dei beneficio satis commode. Sed tamen vicinis pereuntibus, perimus cum ipsis. Utinam Deus hisce malis tandem det finem; Sed omnia ita aguntur, ut vix spes ulla appareat, nisi ἀπὸ μηχανῆς aliquid fiat. Interim rogemus Deum. Tu vero, *mi Lotichi*, vale & salve, meque ut facis, amare perge. *Marpurgi* e Musæo meo pridie Epiphan. Domini Anno MDCXXVIII.

XIV.

AMplissime Consultissimeque Domine. Filiolus meus, quem e vestro Gymnasio propter horum difficultatem temporum & imminentia imo prementia pericula, nuper admodum

invitus domum revocavi, cum cæteram tuam & ad alloquium admisso & benevola manus inscriptionehonestato sibi præstitam celebravit humanitatem: tum illud præcipue retulit, accurate Te de STORCKIO, *Consule nostrate* p. m. amico olim tuo, quæsivisse num & qui vivat. Ea res animum addidit, ut auderem *hanc oratiunculam*, de vita ipsius, a me superiorum jussu, superiori tempore conscriptam habitamque, nunc ad Te mittere, tenuem illam quidem & incultam, proindeque tuo tanti Viri conspectui subducendam potius, quam ingerendam. Veruntamen cum & amici memoriæ sacrata sit & illius ipsius amicitiæ vestræ mentio fuerit in eadem expressa; spero non ingratam ejus tibi missionem, nec molestam lectionem esse futuram. Quod si vile hoc munusculum, insuper aliquem apud Te mihi favoris & benevolentiæ locum impetrabit, id vero, supra audaciam spei meæ votique

tique fuerit &c. 26. Maji MDCXXVIII.

MATHIAS BERNEGGERUS.

XV.

HERMANNUS VULTEJUS, JO. PETRO LOTICHIO.

S. Literæ tuæ hac vespera mihi redditæ sunt recte, quibus vellem me tam respondere posse, quam mihi est animus. Sed quod tabellarius se crastino die incunte ad vos rediturum moneret, brevior esse cogor. Ago vero tibi ingentes gratias pro officiis tuis, quæ mihi præstas; imo quibus me tibi arctius devincis, quam ut ea repariare possim. Interim voluntas tibi gratificandi nunquam mihi deerit, ut maxime mihi desit facultas, cujus utinam tandem aliquando sese offerat occasio. Dolet mihi valde, quod tibi negotium dedi *de scripto isto Germano Rabulistico*, in quo te porro negotiosum esse nolim. Velim etiam

SCHMIDLINUM ſcripti iſtius curam mei cauſa abjicere, cum eo carere poſſim ſine diſpendio. *Archontologiam* expecto, ſed non ſine pretio. Ita enim nolim. *Petronium* grato animo excipiam, præſertim quod non dubitem, quod poſt tot alios elegantiorem, quam hactenus fuit, eum prodeuntem facturus ſis. Magni Viri in eo exornando fuerunt occupati, inter quos tu mihi primus eris. Vale & ſalve, *optime Lotichi*, amice ſumme, tui vero me eſſe amantiſſimum, omnino crede. *Marpurgi* e Muſæo meo, die XXIV. Martii, anno MDCXXVIII.

XVI.

EJUSDEM
AD
EUNDEM.

S. Ante quatriduum redditæ mihi primum ſunt literæ tuæ, *Vir vere Nobilis, Domine & Amice plurimum honorande*, quæ ſcriptæ erant ſuperi-

oris

oris Menſis die decima. Si ſerius reſpondeo, non eſt, ut me excuſem. Agnoſco lentulitatem meam, mecum natam, uſu vero etiam obfirmatam. Et vero ſæpe etiam quod ſcribam ſubtrahitur, & tempore etiam plerumque circumſcribor. Commodum autem accidit, ut *de morte* GOCLENII *noſtri* inaudieris, antequam de ea te facerem certiorem. Abiit a nobis in ipſo Trinitatis Feſto, horis matutinis, cum in procinctu eſſet, eundi in templum, ſubductus nobis a Deo in ſupremum illud templum, quod Dei, Angelorum & Sanctorum ejus domicilium. Pridie ejus diei mecum & cum genero meo D. CHRISTOPHORO DEICHMANNO, *Cancellario Lippienſi*, in ædibus meis ſuper cœnam ſumpſit cibum, in qua multa inter nos de ætate noſtra & de morte etiam ſermones. Sed nulla tum nobis mortis, ipſi tam propinquæ vel ſuſpicio vel ſignum aliquod. Tam enim erat animo

præſens & ſermone promtus, quam erat in ætate vegetiori. Mors tanti viri valde me afficit.' Sed hoc in felicitate mea poſitum duco, quod mihi ultimum vale inter homines dixit, cum hora octava poſt cœnam a me diſcederet. Nam altero die mane, paulo poſtquam uxor ab ipſo ſurrexiſſet, & divertiſſet, exſpiravit, uxore ſuperveniente trahens animam, quæ eſt in benedictione. Certe, ut nunc ſunt res comparatæ, de felici ex hac vita exceſſu gratulari potius noſtris debemus, quam dolere, præſertim, quod videamus omnia quotidie in pejus vergere. Ita enim ſentio, nihil nobis, qui Dei ſumus, in hoc mundo ſperandum eſſe melius. De Deo autem abſit, deſperemus. Petronium tuum his in nundinis exſpectamus, de quo mihi nuper cogitanti excidit, quod ſequitur:

Cum Satyræ ſupereſſe ſuæ nonnulla videret
A.biter, o! dixit, quis meus Alter erit?

Cujus

Cujus *Lotichius* sortem miseratus iniquam
Respondit, Medica crux eget illa manu,
Nec mora: Post alios hunc prona fronte laborem
Suscipit, & Medicas admovet ipse manus.
Hæc ubi facta, videns sic mox Petronius infit:
Unica post alias hæc mihi cura placet.
Lotichius, nulli doctrina, aut arte secundus,
Judicio est magnus, magnus & ingenio.
In Satyra hacce mea quicquid mihi defuit, ille
Solus is est, omne hoc qui mihi restituit.

Ut ita Poëtastrum agam, cum vena, si quæ fuit, jam dudum exaruerit, quæ amore Lotichii aliquid sanguinis imbibit. Cæterum, omnino tibi persuadeas velim, me eum esse in te, quem esse velis: de te nullus dubito. Vale & salve, amicorum optime. *Marpurgi*, e Musæo meo, XIX. Augusti, Anno MDCXXIIX.

XVII.
EIUSDEM
AD
EUNDEM.

S. Jam diu est, quod ad te, *Vir Nobilissime, Domine & Amice mihi*

plurimum honorande, nihil dedi literarum. Quam ob causam solicite me excusarem, nisi humanitas tua & summus tuus in me amor atque benevolentia mihi, etiam peccanti, facile ignosceret. Quod si etiam in hunc excusandi campum omnino descendendum esset, vererer, ne tu ipse incusandus esses, qui istius meæ culpæ partem habes non minimam. Sunt tuæ, quas ad me das, literæ tam eleganter & dulciter lacte & melle fluentes, ut me rusticitatis meæ in scribendo pudeat, & profecto sæpe nesciam, quibus verbis uti possim, ut tuum leporem ex longinquo persequi possim. Sed quid nunc est, ut te compellem *Professorem Rintelensem*? Jam pridem de eo aliquid inaudieram: cum tamen de eo incertus essem, ad te scribere nolui, donec abs te ipso de eo redderer certior, quod nunc proximis tuis literis fecisti. Quibus verbis tibi gratulari, & animi mei sensa explicare queam, profecto non invenio.

nio. Finge, omnia a me dicta & scripta esse, quæ a vero & sincero amico unquam dici & scribi potuissent. Hic me Demosthenem vel Ciceronem aliquem esse velim, imo utroque illo superiorem: profecto omne eloquentiæ flumen effunderem. Et certe si quid ejus in me est, id omne effundi velim tibi pro tuo erga me amore, omnino tibi persuadeas. Deus benedicat tibi & actiones omnes tuas dirigat in nominis sui gloriam & Ecclesiæ & Reipublicæ Christianæ commodum, Academiæ Rintelensis & totius literaturæ utilitatem, tuum etiam tuorumque honorem atque emolumentum. Tentavi aliquid carmine; sed vena si quæ mihi fuit, exaruit, non tamen desinam, si forte sedibus æthereis aliquis mihi veniat spiritus. Gratulor etiam plurimum Academiæ Rintelensi, quam valde amo. Nam *ab anno primo, quo fundata est, ferme in eo res mea erat, ut illi operam meam addicerem.* Qua in re tum temporis *Illustrissimus & optimus Prin-*

ceps, *Dominus* ERNESTUS, *piæ memoriæ*, mecum egit, & parum aberat, ut vocationem ſequerer: ſed intervenerunt impedimenta, quæ avertere non potui. Petronium tuum & vere tuum, in quo reſtituendo & illuſtrando profecto ſuperaſti omnes, qui ante te ei manus admoverunt & ingenia ſua exercuerunt, quin etiam te ipſum, tuumque ingenium divinum ſuperaſti, accepi. Dico ingenue Petronius ille bonus, qui multorum cenſuram & quorundam etiam iniquiorem ſubiit, mihi puriſſimus nunc eſt. Auſim dicere, bene factum, quod licentius ſcripſit, cujus occaſione prodierunt, quæ tu nunc nobis dediſti. Niſi enim Petronius ipſe ſeſe nobis exhibuiſſet, prout fecit, affirmare auſim ſancte, tot & tantos viros in viro & ingenio tam eleganti ingenia ſua non exeruiſſe. Satyricon aliter ſcribi non potuit, aut debuit, ut mirer, viros magnos tametſi & ipſos elegantes tam inique & ſiniſtre de hoc ſcripto judicaſſe. Quod eum ad

ad me tuum miſiſti Petronium, beaſti me, neque abs te mihi proficiſci potuiſſet acceptius. Agerem tibi de eo gratias pro eo ac debeo & ſentio, & quidem pluribus verbis, niſi vererer, ne ab homine amiciſſimo minus amice & familiariter factum putares. Sed non eo ſecus tamen reipſa gratiam perpetuo ſum habiturus, atque utinam quid haberem, quod rependerem. Illud tibi perſuadeas velim, etſi me amas, idque re ipſa probaſti & teſtatum feciſti ſatis, eum tamen eſſe me, quem in amore non vincis. De rebus publicis ſcribere quid attinet? Deplorare ea eſt citius, quæ aguntur & corrigi non poſſunt, quam de iis, quæ omnibus nota ſunt, ſcribere, præſertim quod & hoc ipſum non ſit ſatis tutum. In ſpe & ſilentio ἀπὸ μηχανῆς auxilium expectandum eſt. Nam auxilium humanum nullum eſt, aut certe non apparet, cauſæ ſecundæ omnes ſiniſtre currunt, quas tamen cauſa prima ita, ut ſpero, diriget,

ut

ut omnia etiam mala, quæ & quantacunque ſunt, cooperatura ſint electis Dei bonum. Ego certe omnino mihi perſuadeo, ea omnia, quæ Deus nobis hactenus immiſit & porro immittet, ut maxime ſunt difficillima, ſalutaria eſſe. De me ſi quæras, reſpondeo, me non abeſſe longe a meo ex hac vita diſceſſu, quem Deus omnis miſericordiæ Pater mihi facilem, proſperum & fortunatum eſſe velit. Nam experior vires & animi & corporis remittere & debilitari. Te vero, *mi Lotichi*, Virum in hac ætate virili conſtitutum, Deus in annos Neſtoreos conſervet & ab omni malo tueatur, regatque ſpiritu ſuo ſancto, ut bonum certamen certes, & fidem ſerves, ut aliquando coronam illam immarceſſibilem, quæ omnibus Dei filiis repoſita eſt, acquiras. Vale, & ſalve cum tuis, ſub oſculo manus. *Marpurgi*, e Muſæo meo, calamo quidem celeri, ſed valetudine infirmiori, XVIII. Aprilis, Anno MDCXXIX.

XVIII.

XVIII.

EJUSDEM AD EUNDEM.

S. Literæ tuæ, quas in itinere tuo, *Vir Clarissime*, *Cassellis* ad me dedisti, redditæ mihi sunt recte, quibus respondissem jam pridem, si Mercurius aliquis se mihi obtulisset: & parum absuit, ut hic etiam me effugisset. Satis vero etiam mihi fuit, quod aliunde intelligerem, istuc loci tibi bene esse, quod Deus tibi tuisque velit esse perpetuum. Gratulor autem tibi plurimum. Nam in eum locum venisti, a quo ego ante annos non admodum multos non fui alienus, adeo ut propemodum eum mihi fecissem patrium. Certe præferendus is tibi est præ aliis, de quibus meministi inter nos, dum adhuc esses *Francofurti*. Hic otium tibi erit negotiosum in Petronio tuo, vere tuo, quem eruditissimo Commentario, cujus lectio me mire delectat, fecisti tuum. Nihil

in

in eo desidero, nisi quod tu deside-
ras, hoc est, ut sciam, quid desi-
derari amplius possit, quod præsta-
bis, si id in publicum dederis. Fa-
cito igitur, ut mox id sciam, ne,
si id omittas, quod abominor, di-
ca tibi dicatur. Expecto igitur abs
te, ut sciam, quid expectandum mi-
hi sit: quid inquam mihi, imo to-
ti rei literariæ, & omnibus, qui e-
legantias istas amant, in quibus ego
non sum postremus. Nam ut ma-
xime ipse elegans non sim, sum ta-
men elegantiæ studiosissimus. Ubi
Petronium absolutum habueris, co-
gitare te velim de alio, in quo in-
genium tuum divinum exerceas: ut
interim memineris studii, quod tibi
est potissimum, ex quo nomen ha-
bes. In hoc optime cepisti, dum
Francofurti fuisti: hic tibi campus
decurrendus erit ad nominis tui im-
mortalitatem, quod jam pridem a
Majoribus tuis magnum, tu majus
& sublimius facies: quod ut facias,
Deus te egregiis donis ornavit. Sed
quid

quid opus est, inquies, ut me moneas. Fateor, opus non esse, sed memineris ejus, quod ille canit:

> Acer & ad palmæ per se cursurus honores,
> Si tamen horteris, fortius ibit equus.

Nosti illud *Aeneæ ad Ascanium* suum:

> Te Pater Aenæas, & avunculus excitet Hector.

Ceterum ad me quod attinet, ætas mihi ingravescit, quæ me tardiorem ad omnia facit. Tentavi aliquoties Musam meam, si quæ est, quæ tibi de conditione & honoribus tuis, quos *vocatione illa Rintelensi* consecutus es, gratularetur: sed exaruit mihi fons. Videbo tamen, an ad rivum aliquem venire possim: quod si fiet, flumen movebo. Tu vero, *mi optime Lotichi*, si quid me velis, manda mihi: nolim te dubitare, me tuum esse totum. Amore & benevolentia in te non concedam cuiquam. De publicis nihil habeo, quod scribam & hoc ipso, quod publica sunt, sunt tibi

tibi nota & fortaſſe mihi non tam nota, quam tibi. Quid autem agas, ſcire cupio. Vale & ſalve. *Marpurgi*, calamo currente, XII. Julii, Anno MDCXXIX.

XIX.

EJUSDEM AD EUNDEM.

S. Beas me, *Vir Nobiliſſime*, quoties ad me ſcribis. Ita nuper *Gynaicologiam* tuam ad me miſiſti: nunc vero, quaſi id non eſſet ſatis, ſuperaddis *Orationem* illam tuam, vere tuam, ut elegantem, ita divino tuo ingenio dignam. Ea protinus mihi eſt lecta, cum vix dum mihi eſſet reddita. Nam vel inſcriptio me invitabat, cupidum noſſe, quo & quam ſublimi cothurno rem illam tractaſſes. Et profecto ſatisfeciſti mihi abunde: quod idem fatebuntur, quibus illa legenda dabitur. De Gynecæis

cæis mihi cura non eſt, neque eſſe debet mihi ſeni, tantum non ſilicernio. Sed de periculis illis, quæ mirum in modum prodis, cogitationes mihi ſunt quotidianæ, quæ animadverto ſubinde fieri quotidie majora, ut metuam tandem ingentem ruinam, quam ſecutura eſt extrema barbaries. Deploranda nobis ſunt in hoc ſtatu, quæ emendare non poſſumus. Deteriora ominari nolim, quæ valde metuo. Veſtigia terrent: atque utinam ex aliis nobis, qui felicius in hiſce procellis navigare videntur, exempla ſint capienda. Spiritum ægre trahunt *Mons Regius*, *Gripsvvaldia*, *Francofurtum Oderanum*, *Roſtochium*, *Helmſtadium*, *Tubinga*, & *Heydelberga*. Atque utinam *Rintelam* illis non adjungam; atque hoc cum propter ſe ipſam, quæ ante decennium ferme me civem ſuum eſſe voluit, tum propter te potiſſimum, amicum meum optimum, qui in tricas iſtas, te & ingenio tuo indignas, incidiſti, quibus ut te eximas, cogitandum tibi eſt mature

ture, quod ipsum te facere ex literis tuis cognovi.

Valde autem probo, quod de *Brema* cogitas. Urbs est inter cæteras egregia & populosa, loco commodissimo sita, provinciis Belgii vicina. Homines habet bonos & beneficos: neque dubito, quin istic tibi & familiæ multo melius sis prospecturus, quam forte possis Rintelii. Eam sedem si ceperis, autor tibi sum & suadeo, ut eam tibi & tuis firmam facias, quod factu tibi haud erit difficile. Interim utere benignitate optimæ *viduæ* ERNESTI *Principis*, quam scio tibi pro illa, quæ ipsi in te est propensio, non defuturam. Mora *Poematum Lotichianorum* multis est molesta, cujus scio, te argui non posse. Incidimus in ea tempora, ut non videam, qua ratione illa purgari possint & fiunt ista quotidie difficiliora. Bellorum istorum tela tam est confusa & connexa, ut solvendi illam non appareat ulla ratio. Nescio, quid ominer mali. Vereor nos probaturos esse tem-

tempora præterita ut maxime fuerint & adhuc sint difficillima præ illis, quæ sunt secutura. Cæterum *dedicatio tua* mihi quidem in seipsa haud improbatur, sed, quod nimius es in laude mea, id est, quod improbo. Eo enim neque mihi, neque tibi ipsi, consules. Nam ut ego ipse non agnosco, quæ mihi tribuis, ita erunt, qui me norunt, ut & me & te rideant: te quidem, qui illa scripseris, me vero, qui id fieri passus fuerim. Certe de laudibus, quas in me benigne magis, quam merito, congeris, nihil est, quod cognosco vel amplector, quam animi erga me tui candorem. Verbis autem consequi nequeam, quam mihi sit gratus tuus tam propensus in me animus.

Sed quid interim *Petronius tuus*? Dormitne, an vigilat? Utinam quod accurate & æque feliciter orsus es in Petronium, constanter prosequare! Adest tibi ingenium, adest eruditio, adest corpus vegetum & animus vividus: denique nihil deest, quod ad istam provinciam, quamvis diffici-

lem, obeundam, requirendum videatur. Nec moram tibi injiciant sycophantæ. Qui enim ad aliena scripta discutienda, non æquo judicio, non veritatis amore, non candido animo accedunt, velintque ansam caluminandi capere, non dubium, quin etiam Christo & Apostolis calumniam struere possint. Neque vero magni artificii est, in alieno opere, quantumvis erudito, quantumvis circumspecto, quantumvis terso & raro, reperire, quod aliqua calumniandi specie reprehendi non possit. Iræ, inquit, Plutarchus quodam loco, invidiæ, malevolentiæ, obtrectationes, malignitates, pestes sunt eorum, quibus insunt, stolidos autem turbant & exagitant. Ne igitur movearis, sed tu potius contra audentius ito, pro virtute tua. De rebus meis nihil adscribo, quam hoc solum, me Dei beneficio valere, ut senem. A laboribus quotidianis parum remitto, dixerim forte nihil. Tantum valent mores a pueritia. Me enim unquam

quam quievisse, non memini. Quo factum est, ut semper mihi quieverit mens mea, & meus animus. De novis, quæ quotidie afferuntur, non æque sum sollicitus. Quæ enim ad nos veniunt, pleraque sunt mendacia. Nobilis Typographus *Gotfridus Tampachius* in ipso die Palmarum *Francofurti* sepultus est: quem ob industriam & quod de re literaria & studiis nostris bene est meritus, amavi. Sueciæ Regi omnia ex animi sententia cedere dicuntur: sed vereor, ut verum non sit. Catastrophe mirabilis erit. Ominari nolim quidquam. Sed si coram essem, dicerem tibi in aurem, quæ & qualis meo judicio futura sit. Ἀλλὰ ταῦτα ἐν γούνασι Θεοῦ κεῖται. Nos interim rogemus Deum, ut nobis adsit propitius. Huic te commendo, *amantissime Lotichi*, qui te tegat Spiritu suo Sancto & cum tuis custodiat. Vale & salve *Marburgi* scribebam manu non admodum firma, sed qualis esse solet senibus, pridie Resurrectionis Domini, a. MDCXXXI.

XX.

IDEM EIDEM.

S. Postremæ tuæ, *Vir Nobilissime*, *Amice honoratissime*, quas ad me dedisti, scriptæ erant *Minda* Mense Septembri superioris anni. Ab eo tempore binas ad te dedi, tu vero ad me nullas: quod mirarer, si tempora & itinera literis essent amica. Puto enim in medio

cursu intercidisse, quas ego ad te & tu forte imo sine dubio ad me. Mei enim memoriam apud te intercidisse, nemo mihi facile persuaserit: tui apud me certe nunquam. Et vero commeatus ex ista urbe, in qua vivis ad hanc, in qua ego sum, rarior, atque siquis forte est, mihi non notus

Tentandum aliquid putavi, occasione tam grata mihi jam per urbis vestræ Mercurium a Consiliariis Episcopalibus data. Certe eam negligere mihi religio fuit, quamvis nihil haberem, quod scriberem te dignum: atque hoc ipsum scribere volui, ut videres, eundem mihi in te esse animum, qui fuit olim. Quid vero agis, *mi Lotichi?* Ut vivis inter arma media. Bene tibi ut non dubitem, ars tua facit, quæ militi præ cæteris est gratissima, nec mirum, siquidem sine illa ægre vivit: & vero, ut tibi cum uxore & liberis, siquos habes, bene sit, ex animo voveo. Messis sine dubio Mindæ est fertilior, quam fuisset Rintelii, si eo loco mansisses. Verum an Rintelium prorsus deserueris, ex te scire cupio; malim te illud suspendisse, non deseruisse. Est enim militia illa togata præ ea, quæ est armata, diuturnior. De tuis vero studiis velim me certiorem fieri. Omnino enim mihi de te pro ingenio tuo persuasum habeo, te illis omne tempus tribuere, si quod tibi vacuum est a negotiis vocationis tuæ. De me siquæris, *Lo-*


tichi


tichi, hoc habeto. Aetas in qua ſum, excurrens fermè, Dei beneficio, ad annos ſeptuaginta octo, & ſentio ætatis iſtius vitia, vires corporis pro ætate illa ſunt robuſtæ ſatis, tametſi duo ſint, quæ mihi moleſtiam quidem aſpergant, animum tamen non mutent. Memoria in dies remittit: de cæteris, quæ animi ſunt, non habeo, Dei beneficio, quod conquerar. In ſtudiis meis nihil remitto, atque, ut velim, non tamen poſſim. Hoc loco, quod queramur, non habemus. A peſte metus eſt, & ſunt non pauci, qui locum mutandum cenſeant, cum quibus pleriquè, inter quos & ego ſum, idem non ſentiunt. Quod ſi periculum ſuberit amplius, forte in patriam meam ibo, atque illic me, quantum fieri poteſt, occultabo. Detinentur apud vos duo Studioſi Marburgenſis Academiæ, honeſtiſſimi adoleſcentes, mihi amantiſſimi, Wittenbergenſis unus, alter Hamburgenſis. Exſpatiatum hinc abierunt: quod, ſi apud nos manſiſſent, & ſtudiis ſuis vacaſſent, feciſſent rectius & vocationi ſuæ conſultius. Exemplo ſint aliis, ut ſua tractent. Dimiſſum ipſos iri ſperamus, & optamus: nihil enim in ipſis eſt improbum. Tandem aliquid addam, quod putem id tibi gratum fore. CÆSAREA MAJESTAS ex *Ratisbona* anno MDCXXX. mihi, nihil minus cogitanti, proprio motu per *Conſiliarium ſuum*

ma-


majorem D. OTTONEM MELANDRUM deferri curavit *dignitatem Equestrem & Nobilem*, pro me, & omnibus meis posteris & præterea *Comitivam Palatinam*. Recusavi Nobilitatem, ut supra me positam, gratiis actis modeste: Comitivam autem suspendi. Urgeor denique, ut, si illam nollem, hanc acceptarem: respondi, ab hac me alienum non esse. Metuebam enim, si eam detrectarem, me indignationem Cæsaris iucursurum, quasi contemnerem tantum beneficium, sponte oblatum. Hæc ita ultro citroque agentes per literas inter D. MELANDRUM, & me, & cum ego non urgerem amplius, ecce! nihil minus mihi cogitanti *Vienna* ad me mittitur *Decretum Imperatoris*, cujus exemplum tibi mitto: ex quo intelliges, quod duo mihi sint superaddita, unum, quo *dignitate Nobilis & tituloConsiliarius Cæsareus*, & alterum, quod *filius meus* natu major *Comes Palatinus* esse debeat, sed ita, ut post mortem meam eam habeat. Decretum illud accepi Anno MDCXXXI. eo ipso momento, in quo Rex Sueciæ in Franconiam venit. Hoc scire te volui, cum sciam, te mihi, & honoribus meis & meorum, favere. Nam a jactantia ut semper, ita adhuc procul absum. Vale, & salve, *Lotichi præstantissime*, & omnino tibi persuadeas, me tui causa quicquid velle. E *Marburgo* die XVI. Sept. Anno MDCXXXIII.












cursu intercidisse, quas ego ad te & tu forte imo sine dubio ad me. Mei enim memoriam apud te intercidisse, nemo mihi facile persuaserit: tui apud me certe nunquam. Et vero commeatus ex ista urbe, in qua vivis ad hanc, in qua ego sum, rarior, atque siquis forte est, mihi non notus

Tentandum aliquid putavi, occasione tam grata mihi jam per urbis vestræ Mercurium a Consiliariis Episcopalibus data. Certe eam negligere mihi religio fuit, quamvis nihil haberem, quod scriberem te dignum: atque hoc ipsum scribere volui, ut videres, eundem mihi in te esse animum, qui fuit olim. Quid vero agis, *mi Lotichi?* Ut vivis inter arma media. Bene tibi ut non dubitem, ars tua facit, quæ militi præ cæteris est gratissima, nec mirum, siquidem sine illa ægre vivit: & vero, ut tibi cum uxore & liberis, siquos habes, bene sit, ex animo voveo. Messis sine dubio Mindæ est fertilior, quam fuisset Rintelii, si eo loco mansisses. Verum an Rintelium prorsus deserueris, ex te scire cupio; malim te illud suspendisse, non deseruisse. Est enim militia illa togata præ ea, quæ est armata, diuturnior. De tuis vero studiis velim me certiorem fieri. Omnino enim mihi de te pro ingenio tuo persuasum habeo, te illis omne tempus tribuere, si quod tibi vacuum est a negotiis vocationis tuæ. De me siquæris, *Lotichi*

tichi, hoc habeto. Aetas in qua sum, excurrens ferme, Dei beneficio, ad annos septuaginta octo, & sentio ætatis istius vitia, vires corporis pro ætate illa sunt robustæ satis, tametsi duo sint, quæ mihi molestiam quidem aspergant, animum tamen non mutent. Memoria in dies remittit: de cæteris, quæ animi sunt, non habeo, Dei beneficio, quod conquerar. In studiis meis nihil remitto, atque, ut velim, non tamen possim. Hoc loco, quod queramur, non habemus. A peste metus est, & sunt non pauci, qui locum mutandum censeant, cum quibus plerique, inter quos & ego sum, idem non sentiunt. Quod si periculum suberit amplius, forte in patriam meam ibo, atque illic me, quantum fieri potest, occultabo. Detinentur apud vos duo Studiosi Marburgensis Academiæ, honestissimi adolescentes, mihi amantissimi, Wittenbergensis unus, alter Hamburgensis. Exspatiatum hinc abierunt: quod, si apud nos mansissent, & studiis suis vacassent, fecissent rectius & vocationi suæ consultius. Exemplo sint aliis, ut sua tractent. Dimissum ipsos iri speramus, & optamus: nihil enim in ipsis est improbum. Tandem aliquid addam, quod putem id tibi gratum fore. CÆSAREA MAJESTAS ex *Ratisbona* anno MDCXXX. mihi, nihil minus cogitanti, proprio motu per *Consiliarium suum*

ma-

majorem D. OTTONEM MELANDRUM deferri curavit *dignitatem Equestrem & Nobilem*, pro me, & omnibus meis posteris & præterea *Comitivam Palatinam*. Recusavi Nobilitatem, ut supra me positam, gratiis actis modeste: Comitivam autem suspendi. Urgeor denique, ut, si illam nollem, hanc acceptarem: respondi, ab hac me alienum non esse. Metuebam enim, si eam detrectarem, me indignationem Cæsaris incursurum, quasi contemnerem tantum beneficium, sponte oblatum. Hæc ita ultro citroque agentes per literas inter D. MELANDRUM, & me, & cum ego non urgerem amplius, ecce! nihil minus mihi cogitanti *Vienna* ad me mittitur *Decretum Imperatoris*, cujus exemplum tibi mitto: ex quo intelliges, quod duo mihi sint superaddita, unum, quo *dignitate Nobilis & tituloConsiliarius Cæsareus*, & alterum, quod *filius meus* natu major *Comes Palatinus* esse debeat, sed ita, ut post mortem meam eam habeat. Decretum illud accepi Anno MDCXXXI. eo ipso momento, in quo Rex Sueciæ in Franconiam venit. Hoc scire te volui, cum sciam, te mihi, & honoribus meis & meorum, favere. Nam a jactantia ut semper, ita adhuc procul absum. Vale, & salve, *Lotichi præstantissime*, & omnino tibi persuadeas, me tui causa quicquid velle. E *Marburgo* die XVI. Sept. Anno MDCXXXIII.



majorem D. OTTONEM MELANDRVM deferri curavit *dignitatem Equestrem & Nobilem*, pro me, & omnibus meis posteris & præterea *Comitivam Palatinam*. Recusavi Nobilitatem, ut supra me positam, gratiis actis modeste: Comitivam autem suspendi. Urgeor denique, ut, si illam nollem, hanc acceptarem: respondi, ab hac me alienum non esse. Metuebam enim, si eam detrectarem, me indignationem Cæsaris incursurum, quasi contemnerem tantum beneficium, sponte oblatum. Hæc ita ultro citroque agentes per literas inter D. MELANDRUM, & me, & cum ego non urgerem amplius, ecce! nihil minus mihi cogitanti *Vienna* ad me mittitur *Decretum Imperatoris*, cujus exemplum tibi mitto: ex quo intelliges, quod duo mihi sint superaddita, unum, quo *dignitate Nobilis & tituloConsiliarius Cæsareus*, & alterum, quod *filius meus* natu major *Comes Palatinus* esse debeat, sed ita, ut post mortem meam eam habeat. Decretum illud accepi Anno MDCXXXI. eo ipso momento, in quo Rex Sueciæ in Franconiam venit. Hoc scire te volui, cum sciam, te mihi, & honoribus meis & meorum, favere. Nam a jactantia ut semper, ita adhuc procul absum. Vale, & salve, *Lotichi præstantissime*, & omnino tibi persuadeas, me tui causa quicquid velle. E *Marburgo* die XVI. Sept. Anno MDCXXXIII.